SUMMA PHILOSOPHIAE AUTHORE P. RAYMUNDO MAILHAT, ...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
25 A
14

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

d 87 48.4.1.

Z3 1

73

SVMMA PHILOSOPHIÆ

Authore.

P. RAYMVNDO MAILHAT,

Ordinis Prædicatorum, Conuentus

S. THOMÆ *Aquinatis Toloſani.*

TOMVS IV.

Quartam partem Phyſicæ, ſeu Libros de anima.

Item Metaphyſicam & Ethicam complectens.

EDITIO TERTIA.

Longè quàm hactenus emendatior.

TOLOSÆ,
Apud RAYMVNDVM BOSC,

M. DC. LXII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

12 25. A. 4

INDEX TOMI QVARTI.

Quarta Pars Phyſicæ.

De ente naturali viuente, ſeu vitaliter mobili, *ſiue de anima.* 1

In primum & ſecundum librum de anima.

DISPVTATIO I. *De natura & ſpeciebus animæ in communi.* 2

Sect. I. *Quid ſit anima.* 3

Sect. II. *Quotuplex ſit anima in genere, & quot modi viuendi.* 7

Sect. III. *Quotuplex ſit anima aut forma in compoſito vel viuente.* 10

DISP. II. *De informatione animæ.*

Sect. I. *Vtrum omnes partes viuentis informentur unicâ formâ ſeu animâ totius, an etiam formis partialibus.* ibid.

§. Vnic. *An quatuor humores, dentes, vngues, capilli informentur animâ totius.* 20

Sect. II. *Vtrum anima ſit diuiſibilis vel indiuiſibilis.* 25

DISP. III. *De potentiis animæ in communi.* 30

Sect. I. *An potentiæ animæ ſpecificentur ab actibus & obiectis.* 31

Sect. II. *Quot ſint genera potentiarum animæ, & quodnam illarum ſubiectum.* 34

DISP. IV. *De anima vegetatiua eiuſque potentiis.* 36

Sect. I. *De triplici facultate animæ vegetatiuæ, nutritiuâ, augmentatiuâ, & generatiua.* 37

Sect. II. *An ſupradictæ potentiæ realiter distinguantur tum à calore naturali, tum inter ſe.* 39

Sect. III. *De nutritione & augmentatione.* 41

§. 1. *An nutritio & augmẽtatio ſint motus continui: vbi reſoluitur an ſubſtãtia materialis habeat partes.* 43

§. 2. *Quomodo diſtinguãtur nutritio & augmẽtatio.* 57

§. 2.

§. 3. *Quibus competant nutritio & augmentatio.* 59
§. 4. *An nutritio & augmẽtatio fiat toto tẽpore vitæ.* 63
Sect. IV. *De generatione viuentium.* 66
DISP. V. *De anima ſenſitiua, eiuſque potentiis in communi.* 68
Sect. I. *An potentiæ ſenſitiuæ, & vniuerſaliter omnes facultates cognoſcitiuæ indigeant ſpeciebus impreſsis ad cognoſcenda obiecta.* 69
Sect. II. *An ſpecies impreſſa ſit formalis ſimilitudo obiecti.* 72
Sect. III. *An ſpecies impreſſa concurrat actiuè ad cognitionem.* 78
DISPVT. VI. *De ſenſibus externis.* 80
Sect. I. *De obiecto ſenſuum externorum.* ibid.
Sect. II. *De ſenſu viſus.* 86
Sect. III. *De auditu.* 90
Sect. IV. *De odoratu.* 92
Sect. V. *De guſtu & tactu.* 93
In Tertium librum de anima
DISP. I. ordine VII. *De ſenſibus internis.* 96
Sect. Vnica. *Statuitur dari quatuor ſenſus internos realiter diſtinctos, nempe ſenſum communem, phantaſiam, æſtimatiuam, & memoriam.* ibid.
DISP. VIII. *De anima rationali ſecundum ſe.* 103
Sect. I. *Quid ſit anima rationalis.* ibid.
Sect. II. *Vtrum vna anima rationalis ſit perfectior alterâ.* 109
DISP. IX. *De potentiis animæ rationalis.* 111
Sect. I. *De intellectu.* ibid.
§. Vn. *De intellectione & ſpecie expreſſa ſeu verbo.* 120
Sect. II. *De voluntate eiuſque libertate.* 127
Sect. III. *De potentia executiua, num diſtinguatur ab intellectu & voluntate.* 131
METAPHYSICA.
Prooemium. 135
PRIMA PARS METAPHYSICÆ.
De ente reali in communi.
DISP. I. *De quidditate entis realis in communi.* 138
Sect. I. *Vtrum ens ſit vniuocum vel analogum reſpectu inferiorum.* ibid.

Sect. II. *Vtrum ens dicat vnum conceptum ſimpliciter præciſum ab inferioribus.* 142
DISP. II. *De proprietatibus entis realis.* 149
Sect. I. *Quæ & quot ſint huiuſmodi entis propriet.* ibid.
Sect. II. *De vnitate.* 151
§. Vn. *De vnitate indiuiduali, eiúſque principio.* 153
Sect. III. *De veritate.* 161
Sect. IV. *De bonitate.* 164
SECVNDA PARS METAPHYSICÆ
De ente increato. 6 16
DISPVT. I. *De Deo ſecundum ſe.* 167
Sect. I. *An demonſtrari poſſit dari Deum.* ibid.
Sect. II. *De diuinis perfectionibus & attributis.* 174
DISP. II. *De Deo vt principio creaturarum.* 177
Sect. I. *An Deus ſit principium efficiens omnium creaturarum.* ibid.
Sect. II. *Vtrum creare ſit proprium Deo, ita vt id nequeat creaturæ competere.* 180
TERTIA PARS METAPHYSICÆ.
De ente creato. 183
DISP. I. *De eſſentia & exiſtentia in rebus creatis.* 184
Sect. Vn. *Quomodo diſtinguantur in rebus creatis eſſentia & exiſtentia.* ibid.
DISP. II, *De natura & ſuppoſito in creatis.* 190
Sect. I. *An ſuppoſitum vel ſubſiſtentia addat aliquid ſupra naturam in creatis.* ibid.
Sect. II. *Quomodo diſtinguatur ſubſiſtentia ab exiſtentia in creatis.* 194
DISP. III. *De ſubſtantiis ſpiritualibus, ſeu angelis.* 200
Sect. I. *De angelis ſecundum ſe.* 201
Sect. II. *De angelis per cõparationẽ ad res corporeas* 205
Sect. III. *De intellectu, voluntate, & locutione angelorum.* 206
DISP. IV. *De accidentibus ſpiritualibus, ſeorſim de ſcientia.* 207
Sect. I. *De exiſtentia ſcientiæ.* 208
Sect. II. *De diuiſione ſcientiæ in ſubalternantem & ſubalternatam.* 210
Sect. III. *D diuiſione ſcientiæ in ſpeculatiuam & practicam.* 212

Sect. IV. *De vnitate ſcientiarum.* 216
Appendix de ente rationis, 221
Sect. I. *An detur & quid ſit ens rationis.* ibid.
Sect. II. *Per quam potentiam fiat ens rationis.* 226
ETHICA.
Procemium. 236
PRIMA PARS ETHICÆ.
De fœlicitate aut beatitudine hominis. 239
DISPVT. I. *De vltimo fine hominis.* 240
Sect. I. *An ſit aliquis vltimus finis humanarum actionum.* ibid.
Sect. II. *An poſsit homo duos vltimos fines ſimul intendere.* 242
DISPVT. II. *In quo conſiſtat vera hominis fœlicitas ſeu beatitudo.* 244
Sect. Vn. *Reſoluitur propoſita quæſtio.* 245
SECVNDA PARS ETHICÆ.
De moribus, ſeu actibus humanis in eſſe morali ſpectatis. 252
DISPVT. Vnica. *De moralitate.* 254
Sect. I. *Quid ſit, & vnde deſumenda ſit actuum humanorum moralitas.* ibid.
Sect. II. *An moralitas vniuocè diuidatur in bonitatem & malitiam, ſeu in rationem honeſti vel turpis.* 256
§. Vn. *An malitia mali moralis & peccati ſit aliquid poſitiuum, vel priuatiuum.* 257
Sect. III. *An diuiſio moralitatis in bonitatem & malitiam ſit adæquata, vel detur tertia ſpecies, ſcilicet indifferentia.* 259
§. Vn. *An detur actus indifferens in indiuiduo.* 261
TERTIA PARS ETHICÆ.
De morum principiis, ſeu habitibus moralibus. 262
DISP. Vnica. *De virtutibus & vitiis.* ibid.
Sect. I. *De quidditate virtutis, eiúſque in varias ſpecies diuiſione.* 262
§. Vn. *Quid ſit virtus moralis, & quotuplex,* 266
Sect. II. *De ſubiecto virtutum moralium.* 269
Sect. III. *De connexione virtutum moralium.* 273

LAVS DEO.

QVARTA PARS PHYSICÆ.

De ente naturali viuente, ſeu virtualiter mobili.

SIVE

De Anima.

ORDO huius partis ad præcedentes ex dictis initio illarum conſtat: cùm enim viuens ſeu vitaliter mobile minus late pateat tum loco mobili, tum generabili aut corruptibili, conuenienter de ipſo in hac vltima parte, iuxta leges methodi compoſitionis, diſputatur. Ex quo etiam patet quodnam ſit huiuſmodi partis obiectum, eſt enim ipſum viuens: ſeu quod idem eſt, ens naturale vt mobile, non in genere, aut etiam in ſpecie motu locali, aut generationis vel corruptionis, qua ratiōne conſideratur in præcedentibus partibus, ſed motu vitali, hoc eſt, à principio actiuo interno & radicali (quod eſt anima) procedente: hac

enim ratione & continetur, tanquam ſpecies à præcedentibus diſtincta, ſub ente mobili vt ſic totius philoſophiæ naturalis obiecto, & continet ſub ſe omnia de quibus hîc agitur, vel tanquam ſui ſpecies, vt plantas, bruta, & homines, quorum conſideratio præcipuè hîc intenditur dum conſiderantur ipſorum animæ, vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis; vel tanquam principia, vt animas huiuſmodi, quæ ſunt illorum viuentium partes & principia; vel tanquam paſſiones aut proprietates, vt facultates vegetatiuas, ſenſitiuas, & rationales aut intellectuales: atque ita illud erit obiectum huius tractatus, obiectum inquam *quod*: anima verò vt ſic, à qua ſumitur eius inſcriptio, obiectum *quo*, vtpote principium illius conſtitutiuum.

IN PRIMVM & ſecundum librum de Anima.

DISPVTATIO I.

De natura & ſpeciebus animæ in communi.

PRimus liber totus inſumitur à Philoſopho in confutandis antiquorum erroribus circa naturam animæ, quam nonnulli, vt Empedocles, exiſtima-

bant nihil aliud eſſe quàm harmoniam quandam contrariorum, id eſt aliquam qualitatem ex quatuor contrariis ad certum gradum attemperatis reſultantem: alij verò non multum à priori errore diſcrepantes dicebant animam nihil eſſe aliud quàm naturalem complexionem ſeu temperamentum quatuor primarum qualitatum, quibus ſubſcribere videtur Galenus. Contra quos errores, omiſſis multis aliis antiquorum deliriis, hoc vnum pono argumentum: Anima eſt ſubſtantia & non accidens, cum ſit forma conſtitutiua viuentis, quod eſt ſubſtantia: atqui harmonia illa Empedoclis eſt accidens, nempe quædam quinta qualitas ex quatuor elementaribus, vt ipſe volebat, reſultans: & ſimiliter temperamentum, quod nihil aliud eſt re ipſa quàm ipſæmet quatuor qualitates ad quandam temperiem redactæ: ergo anima non eſt harmonia illa aut temperamentum.

SECTIO I.

Quid ſit Anima.

Dico primò: Anima rectè definitur actus primus corporis phyſici organici potentiâ vitam habentis.

Probatur explicando ſingulas particulas: in hoc quod dicitur actus primus, conuenit anima cum aliis formis ſubſtantialibus, & differt à forma accidentali quæ non eſt actus primus ſubiecti, cùm ſupponat ſubſtantialem. Additur Corporis Phyſici, id eſt materiæ primæ, quod adhuc commune eſt tam formis ſubſtantialibus purè corporeis quàm animæ.

omnes enim immediatè recipiuntur in materia, accidentalis verò forma in toto. Subditur, Organici, per quod differt anima ab aliis formis, cum enim multas & diuerſæ rationis habeat operationes, quæ non poſſunt vni & eidem competere parti, exigit ſubiectum organicum, id eſt materiam diuerſas partes diuerſimodè diſpoſitas & organizatas, habentem, ad huiuſmodi operationum videndi, audiendi, & aliarum exercitium aptas. Additur, potentiâ vitam habentis, vt denotetur proprium ſuſceptiuum animæ debere eſſe organicum organizatione proximè diſponente ad operationes beneficio animæ recipiendæ eliciendas: in quo differt materia organizata quæ ſubiacet formæ cadaueris aut formæ ligni in ſtatua ab artifice confecta ab organizatione materiæ in qua recipitur anima.

Ex quibus patet bonitas præfatæ definitionis, quæ eſſentialis eſt, cùm tradatur per rationem actus, quæ eſt veluti generica, & per ordinem ad proprium ſubiectum ipſius à quo eſſentialis differentia actus informantis peti debet.

Patet ſecundò huiuſmodi definitionem competere non ſolum animæ vegetatiuæ, ſed etiam rationali vt tali, quod nonnulli negarunt exiſtimantes animam rationalem non eſſe formam informantem corpus, ſed vniri ei ſicut motorem mobili. Contra quos expreſſe definiuit Concilium Viennenſe ſub Clemente quinto.

Probatur verò ratione: omne compoſitum phyſicum coaleſcit ex corpore ſeu materia, & ex forma materiam illam aut corpus informante, atqui non ſolum viuens vt ſic, & animal, ſed etiam homo in quantum homo eſt verum compoſitum phyſicum: cùm ſit principium *quod* radicale motuum phyſicorum, ridendi, flendi, & huiuſmodi, qui homini in quantum tali proprij ſunt: ergo coaleſcit vt talis ex corpore & ex forma corpus informante: atqui forma hominis inquantum hominis eſt anima rationalis vt rationalis: ergo anima ra-

tionalis vt rationalis eſt forma corporis.

Dices primò : Forma ſubſiſtens non eſt forma informans : atqui anima rationalis eſt forma ſubſiſtens : ergo.

Reſpondeo maiorem eſſe veram de forma ſubſiſtente completa, qualis eſt angelus, non de forma ſubſiſtente incompleta, cuiuſmodi eſt anima. Per quod patet etiam ad minorem. Inſtabis : anima rationalis ſubſiſtit in ſe : ergo nequit eſſe in alio. Reſpondeo diſtinguendo conſequentiam : in alio tanquam in ſubiecto inhæſionis à quo dependeat, concedo : tanquam in ſubiecto informationis quod potius dependeat ab ipſa in ſuo eſſe, nego.

Dices ſecundò : accidens ſpirituale ſaltem completum & permanens nequit informare corpus:ergo nec forma ſubſtantialis ſpiritualis qualis eſt anima.

Reſpondeo negando conſequentiam & paritatem: quia accidens dependet à ſubiecto, & ideo debet ipſi accommodari, ſaltem ſi ſit permanens & ad propriam eius perfectionem ordinatum, ſubindéque debet eſſe corporeum, ſi ſubiectum ſit tale : forma verò ſubſtantialis ſpiritualis eſt à corpore independens, nec ordinatur ad corpus tanquam ad ſuum finem, ſed potius è contra.

Dico ſecundò : Rectè etiam definitur anima, id quo primò viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus. Cuius definitionis ſenſus eſt, animam eſſe primum & radicale principium vegetandi, ſentiendi, mouendi ſe localiter, & intelligendi dicitur primum & radicale principium, per quod ſecernitur anima à principiis immediatè elicitiuis huiuſmodi operationem, quæ ſunt facultates animæ & accidentia : per ſequentes autem particulas diſtinguitur ab aliis formis pure corporeis quæ non ſunt principia radicalia vegetandi, ſentiendi, aut huiuſmodi actionum vitalium & immanentium : ſed aliarum, ſcilicet tranſeuntium, calefaciendi, frigefaciendi, & ſimilium.

Dupliciter autem explicari poteſt prædicta defi-

nitio. Primò in ſenſu diſtributiuo abſoluto, ita vt ſignificet animam in communi, & quamlibet in particulari eſſe principium radicale ſentiendi, mouendi ſe, &c. & hic ſenſus eſt falſus, cùm ſoli animæ rationali competat eſſe principium harum omnium operationum. Secundò in ſenſu diſtributiuo accommodo, ita vt ſignificet animam eſſe principium radicale vegetandi in his quæ vegetatiuâ vitâ vniuntur, ſentiendi in his quæ ſenſitiuâ, &c. & hic ſenſus eſt verus, ſicque explicata definitio eſt legitima, neque neceſſe eſt quod omnes illius particulæ cuilibet animæ quadrent, ſed quædam vni, quædam verò vel omnes ſimul alteri, vt animæ rationali: licet enim quando aliqua ratio ſuperior definitur per proprium genus & propriam differentiam, debeant omnes particulæ definitionis conuenire cuilibet inferiori, non tamen quando definitur per proprias differentias inferiorum, vt ſi diceretur animal eſſe Viuens rationale vel irrationale: aut per proprios actus ipſorum, vt in propoſito. Ex quibus.

Inferes primò hanc definitionem eſſe eſſentialem, & non ſolum deſcriptiuam: quia licet principium proximum vegetandi, ſentiendi, &c. ſit duntaxat proprietas, radix tamen huiuſmodi operationum eſt ipſamet eſſentia animæ, atque adeò definitio illa quæ datur per principium radicale, procedit per aliquid eſſentiale.

Inferes ſecundò definitionem animæ primo loco adductam rectè per iſtam demonſtrari, idque ſolum à poſteriori.

Prima pars ſuadetur formando demonſtrationem hoc modo: id quo viuimus ſentimus, mouemur & intelligimus, debet neceſſario eſſe actus primus corporis phyſici organici: atqui anima eſt id quo viuimus, &c. ergo. Probatur maior: nam cum vnumquodque operetur per ſuam formam neceſſariò ſequitur quod ſi anima eſt principium operationum vitalium, debeat eſſe forma conſtitutiua viuentis in quantum huiuſmodi, quod idem eſt ac eſſe actum

primum corporis organici.

Secunda verò pars ſuadetur : illa demonſtratio eſt à poſteriori, quæ procedit per aliquid poſterius eo quod demonſtratur atqui eſſe principium radicale operationum eſt quid aliquo modo poſterius eo quod eſt eſſe actum corporis phyſici organici, cùm iſtud ſpectet ad ordinem eſſendi, ſeu entitatiuum, illud verò ad ordinem operatiuum, ordo autem eſſendi prior ſit aliquo modo ordine operandi : ergo.

Nec dicas ordinem entitatiuum (ſubindéque animam vt actu informantem) ordinari ad operatiuum tanquam ad finem, iuxta illud, *Vnumquodque eſt propter ſuam operationem*, atque adeò prædictam demonſtrationem procedere per cauſam finalem : nam contra eſt, quia potius ordo operatiuus & ipſæ operationes ordinantur ad perfectionem ipſius entis vt ens eſt, vnde ſenſus illius axiomatis eſt, vnumquodque eſſe propter ſeipſum vt operans, & non propter ipſam operationem veluti in abſtracto, cùm vt ſic ſit imperfectior, vtpote merum accidens, finis autem debeat eſſe perfectior eo quod eſt ad ipſum ſeu propter ipſum.

SECTIO II.

Quotuplex ſit anima in genere, & quot modi viuendi.

DIco primò animam in communi adæquatè diuidi in vegetatiuam ſenſitiuam, & rationalem, ita vt nulla ſit aſſignabilis quæ non contineatur vel ſub vegetatiua, vel ſub ſenſitiva, quæ in varias ſpecies ſubdiuiduntur, vel ſub rationali quæ eſt ſpecies atoma. A 4

Probatur : anima vt ſic eſt principium radicale viuendi vel mouendi ſe , in quo viuens differt à non viuente , viuens enim eſt illud quod habet principium actiuum ſui motus , non viuens verò duntaxat paſſiuum : ergo quot erunt diuerſa genera viuendi, totidem erunt diuerſa animarum genera : atqui tria ſunt duntaxat genera vitæ , vegetatiuæ ſcilicet , ſenſitiuæ , & rationalis : ergo triplex erit genus animarum.

Dico ſecundò quatuor eſſe modos viuendi quorum alij ſeorſim ab aliis reperiri poſſunt , nempe vegetatiuum, ſenſitiuum, loco motiuum , & intellectiuum.

Probatur : per diuerſos modos viuendi intelligimus diuerſos veluti gradus vitæ , quorum priores reperiri poſſunt ſine poſterioribus : atqui illi ſunt quatuor : nam vegetatiuum reperitur in plantis ſine ſenſitiuo : ſenſitiuum ſine loco motiuo in quibuſdam animalibus imperfectis , vt in conchiliis , quæ cùm non habeant niſi ſenſus tactus & guſtus , non verò alios quibus obiectum remotum & locum [illegible] valeant apprehendere , non ſe mouent localiter ad ipſum : item loco motiuum in aliis animalibus ſine intellectiuo quod ſimul cum præcedentibus eſt in homine : appetitiuum verò non conſtituit modum viuendi diuerſum à ſenſitiuo & intellectiuo, cum ad illos inſeparabiliter conſequatur per modum inclinationis , ita vt nec ſine illis eſſe poſſit , neque è contra.

Dices : ergo erunt quatuor genera animarum , ſi ſint quatuor modi viuendi , nempe anima vegetatiua , ſenſitiua , loco motiua , & intellectiua ſiue rationalis.

Reſpondeo negando huiuſmodi conſequentiam, quia loco motiuum procedit ab anima ſenſitiua perfecta aut ab intellectiua, atque adeo non exigit aliud genus animæ : per animam ſenſitiuam perfectam intelligo eam quæ eſt principium earum etiam ſenſationum quibus obiectum remotum apprehendi poteſt.

Ex quibus habes ex alio capite peti numerum animarum, & ex alio numerum modorum viuendi: nam triplex genus animæ colligitur ex triplici genere vitæ quæ complectitur omnes gradus modoſque viuendi: quadruplex verò modus, viuendi ſumitur ex quatuor veluti gradibus vitæ, quornm priores ſine poſterioribus reperiri poſſunt.

Obiicies contra primam concluſionem: In bona diuiſione vnum membrum non debet includi in alio: ſed anima vegetatiua includitur in ſenſitiua, & vtraque in rationali: ergo non rectè diuiditur anima in communi in vegetatiuam, &c.

Reſpondeo animam vegetatiuam contractam & limitatam ad gradum vegetandi, qualis eſt forma plantæ, non includi in ſenſitiua; nec ſenſitiuam ad gradum ſentiendi limitatam, qualis eſt forma bruti, in rationali; ſed ſe inuicem excludere; & ſub hac ratione ſunt membra præfatæ diuiſionis: quamuis anima vegetatiua non limitata ad gradum ſentiendi, qualis eſt in homine, contineatur in rationali.

Dices: Forma ſolum vegetatiua non habet operationes vitales: ergo non eſt anima. Antecedens probatur: Operationes vitales ſunt immanentes: ſed operationes formæ tantùm vegetatiuæ non ſunt tales, ſed tranſeunt in cibum, vel ſunt ab vna parte, in aliam, vt eſt actio caloris naturalis ergo.

Reſpondeo negando antecedens ad probationem reſpondeo quod ſicut anima vegetatiua eſt omnium imperfectiſſima, ita eius operationes immanentiam habent omnium imperfectiſſimam, quæ conſiſtit in hoc quòd recipiantur in eodem ſuppoſito ſaltem quoad terminum quem producunt, vt nutritio & augmentatio, quæ licet vt actiones præuiè diſpoſitiuæ recipiantur in cibo, tamen quoad terminum primariò intentum, qui eſt noua pars quantitatis aut ſubſtantiæ, recipiuntur in ſuppoſito à quo eliciuntur: imò actio generatiua ab anima vegetatiua procedens eſt adhuc minus propriè immanens, vt infra ſuo loco explicabitur.

SECTIO III.

Quotuplex ſit anima aut forma in compoſito vel viuente.

DVas difficultates in titulo coniungimus ob neceſſariam illarum connexionem: altera eſt vtrum in eodem compoſito ſubſtantiali ſint plures ſubſtantiales formæ: altera, vtrum in viuente plures gradus vitæ participante, putà in homine, ſint plures animæ realiter diſtinctæ. Et quidem omiſſa opinione in libris de generatione impugnata, quæ erat Auerrois docentis in compoſito mixto eſſe actu & formaliter ſubſtantiales formas elementorum.

Aliqui docuerunt totidem eſſe formas ſubſtantiales in quolibet compoſito quot in eo ſunt gradus, ita vt forma tribuens vnum gradum genericum, puta corporeum, ſit realiter diſtincta à forma tribuente alterum gradum; & ſic de forma quæ communicat gradum ſpecificum: vnde etiam ſentiunt in viuente plures gradus vitæ participante, plures etiam eſſe animas realiter diſtinctas, vnam vegetatiuam quæ tribuat gradum viuendi, alteram ſenſitiuam quæ conferat gradum ſentiendi, & tertiam rationalem (ſi de homine loquamur) quæ præſtet gradum ratiocinandi. Ita Ocham & Petrus Venetus. Quibus ex parte conſentit Scotus admittens ſaltem duas formas ſubſtantiales in viuente, alteram quam vocat corporeitatis, quæ tribuat gradum corporeum omnibus communem, alteram ſpecificam quæ cæteros gradus conferat: nihilominus.

Dico primò in quolibet compoſito naturali, etiam viuente, vnicam tantum eſſe formam ſubſtantialem

quæ per ſe primò tribuit gradum ſpecificum, & ſecundario aut præſuppoſitiue alios ſuperiores.

Probatur primò: quia ſi darentur plures ſubſtantiales formæ in eodem compoſito, putà homine, huiuſmodi compoſitum non eſſet ens per ſe ſed per accidens: conſequens eſt abſurdum: ergo. Probatur ſequela maioris: Quod aduenit enti completo & in actu vltimo conſtituto, aduenit illi accidentaliter, nec facit niſi vnum per accidens cum illo: atqui compoſitum ex materia & forma tribuente gradum ſuperiorem, putà corporeum, erit ens omnino completum & in vltimo actu conſtitutum, ſi huiuſmodi forma ſit vna & realiter diſtincta ab aliis. ergo poſterior aduenier accidentaliter, ſubindéque faciet vnum tantum per accidens. Probatur minor: nam compoſitum illud ex materia & forma corporea realiter ab aliis diſtincta erit à parte rei verum indiuiduum ſub genere ſubſtantiæ conſtitutum, vt patet de cadauere quod Scotus vult ex materia & forma illa corporeitatis componi: ergo eſt ens completum; & cùm verè exiſtat à parte rei, eſt in vltima actualitate conſtitutum.

Probatur ſecundò: quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate: ſed nulla eſt neceſſitas multiplicandi formas ſubſtantiales aut animas in eodem compoſito: ergo. Probatur minor: Nulla eſt neceſſitas admittendi plures formas ſubſtantiales in eodem compoſito, ſi vna & eadem forma ſpecifica atoma, putà equina, aut rationalis, poſſit tribuere omnes gradus eſſentiales ſuperiores: atqui poteſt: ergo. Probatur minor: nam anima rationalis eſt vera forma ſubſtantialis, corporea vt quo (ſicut infra dicemus, quamuis entitatiuè ſit ſpiritualis) vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua: ergo ſe ſolâ poteſt omnes illos gradus tribuere.

Confirmatur: Nam albedo ex eo quod ſit qualitas, color, & talis color, conſtituit ſubiectum quale, coloratum, album: ergo ſimiliter.

Dico ſecundò non poſſe etiam de potentia Dei

abſoluta dari plures formas ſubſtantiales in eadem materia aut compoſito. Eſt contra Suarem qui licet nobiſcum ſentiat de facto vnicam eſſe formam in compoſito phyſico: aſſerit tamen poſſe diuinitus eſſe plures.

Probatur tamen primò: quia illud compoſitum ſubſtantiale eſſet vnum per ſe, & non eſſet vnum per ſe, & non eſſet vnum per ſe ſed ſolùm per accidens: hec autem implicat: ergo implicat quod in eo ſit duplex forma ſubſtantialis. Probatur ſequela maioris: & primò quod eſſet vnum per ſe, ſupponitur, quandoquidem eſſet ens naturale de genere ſubſtantiæ: quod autem non eſſet, conuincitur rationibus præcedentis concluſionis, forma enim ſecundò adueniens adueniret enti completo & conſtituto quoad omnes gradus ſubſtantiales ac exiſtenti: ergo non faceret niſi vnum per accidens.

Probatur ſecundò: In cauſis materialibus non habet locum diſtinctio potentiæ Dei ordinariæ & extraordinariæ, quia non aliter cauſant quàm per communicationem ſuàrum naturalium entitatum quæ manent ſemper eædem Deo naturaliter aut ſupernaturaliter operante: ergo ſi vna materia non ſit naturaliter capax duplicis formæ ſubſtantialis, non erit etiam ſupernaturaliter: nam vel materiæ adderetur altera materia quâ fieret capax duplice formæ; & hoc deſtruit ſuppoſitionem, iam enim duplex forma non vnam ſed duas materias informaret, & ſic eſſet duplex compoſitum: vel adderetur ipſi aliquid diuerſæ rationis; & hoc nihil conferret capacitatis recipiendi formam niſi eſſet ipſa entitas materiæ; vel nihil omnino adderetur, & ſic inuariata manens ſicut antea erat incapax, ita poſt.

Obiicies: Defuncto homine remanet in materia eius eadem numero forma corporea quæ erat antea: ergo forma illa corporeitatis eſt alia realiter à forma ſpecifica compoſiti. Probatur antecedens: quia alias non eſſet idem numero corpus quod fuerat illius hominis, & ſic in triduo mortis Chriſti Domi-

ni non potuiſſet dici corpus illud quod erat in cruce vel in ſepulchro eſſe illud idem quod de Virgine Maria natum fuerat; nec ſimiliter de reliquiis ſanctorum dici poſſet eſſe eorum corpora. Et hoc eſt fundamentum Scoti, ex quo etiam deducit in corruptione ſubſtantiali non fieri reſolutionem vſque ad materiam primam, ſed remanere idem compoſitum ex materia & forma corporeitatis quam dicit eſſe coæuam materiæ ſemperque eandem manere in illa ſub quolibet compoſito.

Reſpondeo negando antecedens: ad probationem reſpondeo non fore idem corpus, ſi corpus ſumatur pro compoſito ex materia & forma; ſecus ſi pro ipſa materia, illa enim eſt eadem ſub forma cadaueris, quæ ſub anima rationali præfuerat, eadem inquam ſi non formaliter propter nouam ſigillationem ſeu ordinem ad diſtinctam quantitam, ſaltem materialiter in ſe ſpectata: & hoc ſenſu loquimur cùm dicimus hoc corpus aut has reliquias eſſe talis Sancti aut talis hominis: & hoc etiam titulo corpus Saluatoris mortuum verè dici poterat & debebat eſſe corpus Chriſti de Virgine Maria natum, idemque numero quoad materiam, & inſuper quoad ſubſiſtentiam aut perſonalitatem (quod in aliis locum non habet) quia & viuum & mortuum ſemper manſit Verbo diuino hypoſtaticè vnitum ac per eius ſubſiſtentiam ac exiſtentiam ſubſiſtens, nam quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit, loquendo de præcipuis quæ ſibi vniuit, & non de his quæ minus principaliter, aut occaſionaliter, quo modo aſſumpſit formam cadaueris tranſeunter dumtaxat in ordine ad reaſſumptionem totius humanitatis die tertia faciendam: qua de cauſa, cùm à tranſeuntibus non fiat denominatio, non debet Verbum diuinum aut debuit appellari cadauer, ſicut appellatur homo.

Obiicies ſecundò: Generatio terminatur aut tendit ad producendnm ſimile generanti: ergo per illam producitur tantum forma ſpecifica, & non forma corporea, cùm in hac iam ſint ſimilia agens &

paſſum; ſubindéque eſt forma diſtincta.

Reſpondeo terminari primariò ad ſimile, & ad formam ſpecificam ſecundum gradum vltimum; ſecundò verò ad alios gradus ſuperiores, propter eorum cum gradu illo vltimo identificationem: vnde negatur conſequentia.

Obiicies tertiò: In generatione hominis talis ſeruatur ordo, vt primò ex ſemine generetur embrio vegetatiuus, id eſt aliquod compoſitum imperfectum & viale, viuens vitâ duntaxat vegetatiua; ſecundò embrio ſenſitiuus, id eſt viuens vita ſenſitiua; & tandem vltimò introducitur anima rationalis in illam materiam: ergo prius habet illa materia animam vegetatiuam, poſtea ſenſitiuam, & tandem rationalem: atqui ſenſitiua non expellit vegetatiuam, nec rationalis ſenſitiuam, cùm non ſit inter eas oppoſitio aut contrarietas: ergo remanent omnes in homine.

Reſpondeo negando ſubſumptum: via enim eſt incompoſſibilis cum termino; cùm forma embrionis vegetatiui, ad quam immediatè diſponitur ſemen, ſit vialis ad formam embrionis ſenſitiui ad quam non poteſt ſemen ſub propria forma exiſtens immediatè diſponi, & hæc forma ſenſitiua ſit vialis ad animam rationalem, debet neceſſariò corrumpi prior adueniente poſteriori, tum hac ratione dicta, quia vna eſt via ad aliam, tum quia oſtenſum eſt abſolutè plures formas ſubſtantiales eſſe incompoſſibiles, tum denique quia poſterior continet priorem: ſed circa hoc.

Quæres quomodo forma ſpecifica alias contineat, putà anima rationalis ſenſitiuam, vegetatiuam, & corpoream.

Reſpondeo continere formaliter eminenter. Pro intelligentia aduerte tripliciter poſſe aliquid contineri in alio: primò formaliter tantum: ſecundò eminenter tantùm: tertiò formaliter & eminenter ſimul. Continere aliquid formaliter tantum eſt participare rationem formalem eius ſeu definitionem denominationemque cum limitatione ad talem per-

fectionem & cum imperfectionibus illis annexis, quo modo ratio viuentis vegetatiui continetur in planta. Continere eminenter tantum eſt habere totam perfectionem rei contentæ, ſublatis eius imperfectionibus; nec participare rationem eius formalem aut definitionem vel denominationem: qua ratione lapis, equus, & omnia alia creata & finita (quæ vt talia dicunt in ſuo conceptu imperfectionem, ſuntque ſolum, vt loquuntur Theologi, perfectiones ſecundum quid, id eſt perfectiones admixtæ imperfectionibus) continentur in Deo, qui ideo non denominatur lapis, equus, aut huiuſmodi. Continere autem ſimul formaliter & eminenter eſt participare rationem formalem aut definitionem & denominationem illius rei ſine imperfectionibus aut limitatione ad ipſam; quo modo Deus includit ſibique indentificat quamlibet perfectionem ſimpliciter ſimplicem, id eſt quæ in ſuo conceptu nullam inuoluit imperfectionem, quales ſunt intellectus, voluntas, ſapientia, iuſtitia, miſericordia, & huiuſmodi ſecundum ſe ſpectata: vnde non ſolum dicitur & eſt formaliter ſapiens v. g. quatenus rationem formalem ſapientiæ habet in ſe, ſed etiam eminenter quia habet illam ſine limitatione, quatenus vna & eadem perfectio diuina eſt non ſolum ſapientia, ſed etiam iuſtitia, miſericordia, & aliæ omnes. Hoc poſito.

Probatur reſponſio: Continere aliquid formaliter eſt includere in ſe rationem eius formalem: atqui anima rationalis v. g. includit rationem formalem formæ ſenſitiuæ, vegetatiuæ, corporeæ, ſubſtantialis: ergo eſt formaliter ſenſitiua, vegetatiua, corporea (vt quo) & ſubſtantialis forma. Probatur minor: quia formaliter conſtituit hominem in ratione ſubſtantiæ corporeæ, vegetatiuæ, ſenſitiuæ, & rationalis: ergo ipſa eſt formaliter vt quo ſubſtantialis, corporea, vegetatiua, &c: impoſſibile enim eſt formam tribuere aliquem effectum formalem ſeu conſtituere aliquid formaliter tale vt quod, niſi ipſa ſit formaliter talis vt quo, cùm effectus formalis nihil aliud ſit quam

forma ipſa vt communicata. Quod autem non contineat formaliter tantum, ſed formaliter eminenter, ſuadetur: continere enim formaliter eminenter aliquid eſt includere rationem formalem eius, ſecluſis imperfectionibus & ſine limitatione quam illud habet in inferioribus rebus in quibus formaliter tantum reperitur: atqui anima rationalis continet ſenſitiuam ſine imperfectionibus & limitatione quam habet in bruto vbi eſt ſenſitiua tantùm, & ſimiliter vegetatiuam ſine limitatione quam habet in plantis, & corpoream ſine imperfectione & reſtrictione quam habet in rebus purè corporeis, anima enim rationalis ita eſt corporea vt quo, vt non ſit ſolum talis ſed etiam vegetatiua, ita vegetatiua vt &c. ergo non eſt formaliter tantum, ſed formaliter eminenter ſenſitiua, vegetatiua, &c. Vnde habes nos non intendere animam rationalem continere formaliter animam ſenſitiuam aut vegetatiuam ſecundum ſpeciales differentias quas habent in brutis aut plantis, aliàs homo eſſet formaliter brutum aut planta, ſed ſecundum rationes communes ſublatis illis imperfectionibus.

Dices: Anima rationalis eſt ſpiritualis: ergo non eſt corporea etiam formaliter eminenter.

Reſpondeo diſtinguendo conſequentiam: Non eſt corporea vt quod & entitatiuè, concedo: vt quo, id eſt forma informans materiam & conſtituens compoſitum corporeum, nego. Ideò autem non dicitur corporea abſolutè, ſed cum addito, vt quo, quia nomine formæ corporeæ abſolute loquendo intelligimus formam entitatiuè materialem & à corpore dependentem.

Inſtabis: Anima purè ſenſitiua & quælibet alia forma materialis non eſt alio modo corporea quàm vt quo, quatenus ſcilicet eſt id quo conſtituitur compoſitum corporeum: ergo anima rationalis erit corporea eo modo quo aliæ.

Reſpondeo negando antecedens: corporeum enim vt quod dicitur in præſenti illud quod in ſe eſt cor-

poreum & materiale, quamuis ordinetur etiam ad aliud corporeum conſtituendum, qua ratione dicitur corporeum etiam vt quo. Aliæ formæ vtroque illo modo ſuut corporeæ, anima verò rationalis poſteriori tantum, in ſe enim ſpiritualis eſt: ſed de hoc redibit ſermo diſputatione octaua.

DISPVTATIO II.

De informatione animæ.

SECTIO I.

Vtrum omnes partes viuentis informentur vnicâ formâ ſeu animâ totius, an etiam formis partialibus.

OStendimus diſputatione præcedenti vnicam dari formam totalem aut animam in quolibet compoſito, videndum modo eſt vtrum illa ſola informet omnes partes heterogeneas ſeu organicas viuentis, an verò admittendæ ſint etiam in illis diuerſæ formæ ſubſtantiales partiales. Pro reſolutione.

Dico primò non dari formas ſubſtantiales partiales, ſed omnes partes integrales viuentis informari vnica forma ſeu anima totius.

Probatur quia omnes partes integrales viuentis informantur anima totius: ergo informatur illa ſola, & non formis partialibus. Antecedens in primis admittitur ab omnibus facilè ſuadetur ex ipſa definitione animæ quæ dicitur actus corporis organici, ſubindeque de ratione eiûs eſt quod informet partes organicas integrales illius. Conſequentia verò probatur: quia ſi anima totius informaret partes iam ſuis propriis formis ſubſtantialibus actuatas, faceret vnum per accidens cum illis, ſiquidem adueniret eis vt iam in actu conſtitutis, ſuaſque peculiares exiſtentias habentibus. Deinde ex alio etiam capite idem ſuadetur: quia viuens conſtaret pluribus entibus in actu, ſpecieque diſtinctis; volunt enim auctores oppoſiti formas illas ſubſtantiales capitis, pedis, oſſis, carnis, differre ſpecie: impoſſibile autem eſt ex entibus in actu & ſpecie diuerſis fieri vnum per ſe, etſi dicas eſſe partialia tantum, quia hoc dato non ſe habent tamen vt actus & potentia, quod requireretur vt facerent vnum per ſe in ratione ſubſtantiæ.

Dices, formam totalem nihil aliud eſſe quàm ipſas formas ſeu animas partiales quæ ſimul ſumptæ dicuntur vna forma totalis corporis organici; & ita non ſequitur partes informari duplici forma, vna partiali; altera totali, & fieri vnum per accidens.

Sed contra: quia in primis de anima rationali, cùm ſit ſpiritualis & omnino indiuiſibilis, id nequit dici: ſed nec etiam de aliis animabus: tum, quia oſtendemus infrà animas etiam ſenſitiuas perfectas eſſe indiuiſibiles: tum quia (generaliter loquendo de omnibus) reuera ſequeretur fieri vnum tantum per accidens, nam & anima & ipſum compoſitum ſubſtantiale coaleſceret ex pluribus entibus in actu, imò ſpecie diſtinctis, vt ſuperius arguebamus, quæ non ſe haberent vt actus & potentia, quod tamen ad faciendum vnum per ſe ſubſtantiale neceſſarium foret.

Obiicies: Diuerſæ ſpecie proprietates, potentiæ, aut operationes, petunt procedere à diuerſis ſpecie

formis ſubſtantialibus : atqui diuerſis partibus viuentis conueniunt diuerſæ proprietates aut potentiæ, puta videndi, audiendi, olfaciendi, &c. ergo reperiuntur in illis diuerſæ formæ ſubſtantiales partiales.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem : Diuerſæ proprietates aut operationes adæquatæ, concedo inadequatæ, nego : huiuſmodi autem operationes aut facultates, de quibus in argumento, ſigillatim ſumptæ ſunt inadequatæ reſpectu animæ ſenſitiuæ ; ſicut facultas nutritiua, augmentatiua, generatiua reſpectu animæ vegetatiuæ ; intellectus agens & patibilis reſpectu animæ rationalis : & ideo non debent ſingulæ procedere à formis realiter diſtinctis, ſed ſolum id conuenit proprietatibus ſeu potentiis adæquatis, qualis eſt reſpectu animæ vegetatiuæ potentia vitalis ſeu vegetabilis vt ſic complectens nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam ; reſpectu animæ ſenſitiuæ, potentia ſenſitiua vt complectitur omnes ſenſus internos & externos ; & comparatione animæ noſtræ, facultas intellectualis ſeu rationalis complectens intellectum & voluntatem & omnes illius animæ facultates. Hoc enim eſt de ratione animæ vt ſic quod ſit radix diuerſarum facultatum & operationum, & propterea petit in corpore diuerſa organa, & in his diuerſas diſpoſitiones ad illas facultates & ad earum exercitium.

Dico ſecundò animam ita id formare omnes partes integrales viuentis, vt omnibus & ſingulis tribuat omnes gradus quoad ſubſtantiam, nempe eſſe vegetatiuum, ſenſitiuum, & rationale ſi de anima hominis ſit ſermo. Et contra Suarem, qui putat animam rationalem tribuere vni parti hominis, putà oſſi, eſſe vegetatiuum ; alteri, vt carni eſſe ſenſitiuum ; alij verò putà capiti, eſſe intellectiuum.

Probatur tamen : quia omnes illi gradus realiter identificantur, cùm ſint vna & eadem anima vt communicata : ergo vbi reperitur vnus, reperiuntur omnes quoad ſubſtantiam, licet non quoad facultates omnes aut operationes, quia non habent in ſingulis

partibus organa & diſpoſitiones requiſitas. Vnde habes quare licet anima rationalis v. g. ſit in capillis, vt infra dicemus, non ſentiat tamen in illis, nec in pedibus intelligat, quia ſcilicet ibi aut non ſunt organa & potentiæ elicitiuæ harum operationum, aut ſi potentia intellectiua ibi reperiatur, quia eſt ſpiritualis & non affixa organo, non tamen ſunt omnia requiſita ad intellectionem, nempe miniſterium ſenſuum externorum & internorum: per quod ſolutum manet argumentum cui innititur Suares.

Confirmatur magis concluſio: quia vnaquæque pars debet eſſe certæ & determinatæ ſpeciei: ergo debet participare formam, non ſolùm ſecundùm aliquem gradum ſuperiorem, ſed etiam atomum. Vnde omnes partes hominis ſunt eiuſdem ſpeciei rationalis ſubſtantialiter, & differunt tantum ſpecie accidentali ob diuerſas diſpoſitiones & accidentia aut proprietates.

§. Vnicus.

An quatuor humores, dentes, vngues, capilli informentur animâ totius.

QVatuor humores ſunt cholera ſeu flaua bilis, quæ ſt naturæ igneæ, calida & ſicca; ſanguis, qui eſt calidus & humidus ſicut aër; phlegma ſeu pituita, quæ eſt frigida & humida ſicut aqua; & melancholia, frigida & ſicca ſicut terra.

Dico primò ſanguinem & alios humores naturales eſſe animatos anima totius. Eſt contra Suarem, Specialiter mentionem feci ſanguinis, quia maioris momenti res eſt de illo vt patebit, quamuis eadem ſit ratio de omnibus humoribus. Vnde.

Probatur concluſio: Omnes partes integrales vi-

uentis informantur anima totius, vt ſupra probatum eſt, & patet ex definitione animæ, quæ eſt actus informans corpus organicum atque adeo & eius partes quibus in ratione organici conſtituitur: atqui ſanguis eſt vera pars integralis hominis v. g. ergo informatur anima totius. Minor, quam negat Suares, probatur: & in primis ex Concilio Tridentino ſeſſ. 13. dicente ſanguinem Chriſti contineri in ſacramento Euchariſtiæ, ſub ſpeciebus quidem vini per ſe & ex vi verborum, ſub ſpeciebus verò panis per concomitantiam ex vi illius connexionis quà partes Chriſti Domini inter ſe copulantur: ergo ſupponit Concilium ſanguinem eſſe veram partem corporis humani. Secundò: Si ſanguis non eſſet pars integralis hominis, vel Verbum diuinum non aſſumpſiſſet ſeu vniuiſſet ſibi illum hypoſtaticè, vel aſſumpſiſſet duas naturas, nempe naturam humanam & naturam ſanguinis: neutrum dici poteſt: non primum, quia alias non redemiſſet nos ſuo ſanguine, quippe qui non eſſet pretium infiniti valoris ſi perſonæ diuinæ non eſſet vnitus: vnde Ioannes XXII. Auenione quemdam concionatorem coëgit publice retractare id quod dixerit ſanguinem non fuiſſe hypoſtatice vnitum Verbo diuino: nec etiam ſecundum dici poteſt, quia alias bis eſſet incarnatum aut hypoſtaticè vnitum Verbum, aſſumendo naturam humanam & naturam ſanguinis, quæ diuerſæ forent, & ita propriè dici poſſet Deum eſſe ſanguinem ac eſſe hominem. Nec valet dicere cum Suare aſſumpſiſſe tantum duas naturas partiales: nam reuera & natura humana eſt totalis vtpote propriâ materiâ & propriâ formâ conſtans, & ſimiliter natura ſanguinis ſi peculiarem habet formam vt ille vult. Tertiò denique, quia homo verè non eſſet integer nec viueret ſine ſanguine, cùm vita præcipuè in ſanguine conſiſtat: ergo ſanguis eſt vera pars integralis. Quæ ratio procedit etiam de aliis tribus humoribus de quibus proinde ſufficienter per illam manet concluſio probata.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Obiicies primò : Alimentum quandiu eſt alimentum non eſt adhuc pars viuentis nec ſubinde informatur animâ illius : ſed ſanguis eſt alimentum animalis iuxta Medicos qui aſſerunt animal immediatè nutriri ex ſanguine(qui fit ex cibo) illóque deficiente, ex aliis humoribus, præſertim ex pituita : ergo ſanguis, quamdiu manet ſanguis, & alij humores ſimiliter non ſunt partes integrales, nec animâ totius informantur. Pro reſolutione.

Aduerte cum Diuo Thoma quodlibet quinto, articulo quinto, duplicem in animali diſtinguendum eſſe ſanguinem : alterum naturalem & ſubſtantialem, qui eſt vnus ex quatuor humoribus, & hic eſt quem intendimus eſſe veram partem integralem animalis, ſubindéque informari animâ illius:alterum nutrimentalem & accidentarium, qui eſt humor quidam ſimilis ſanguini in colore, veram tamen & ſubſtantialem eius rationem nondum participans, ſed ad eam tendens vi caloris naturalis cum continua actione in verum ſanguinem tranſmutantis, qui humor generatur ex chilo, & dicitur nutrimentalis, quia ex illo immediate nutritur animal. Et quod diximus de ſanguine, applicari debet ad alios humores; ita vt alia ſit pituita vera & naturalis, alia nutrimentalis & ſimilitudinaris. Ex quibus.

Reſpondeo primò data maiore negando minorem de ſanguine naturali de quo procedit concluſio, & concedendo de ſanguine nutrimentali & ſimilitudinario : quæ diſtinctio intelligenda eſt proportionaliter etiam de aliis humoribus, & conſequenti applicanda. Secundò diſtinguo maiorem : alimentum ſimpliciter tale reſpectu totius viuentis, concedo; alimentum quod non eſt ſimpliciter tale ſed tantum ſecundum quid & comparatione aliquarum partium, nego : ſanguis autem (loquendo de naturali) non eſt alimentum viuentis ſimpliciter, potius enim eſt ipſum viuens vt ita dicam partiale quod alitur, ſed tantum ſecundum quid reſpectu partium ſolidarum in quas vi caloris naturalis conuertitur non per nu-

tritionem aut conuerſionem ſubſtantialem, cùm iam eadem anima informetur cum illis, ſed tantum accidentalem acquirendo accidentia & ſoliditatem illarum: ipſe vero ſanguis naturalis immediatè alitur ex ſanguine nutrimentali aut ſimilitudinario, nutritione proprie dicta & ſubſtantiali, cùm iſte de priuatione ad formam viuentis re ipſa tranſeat.

Obiicies ſecundò: ſanguis non continuatur partibus ſolidis animalis: ergo non eſt animatus. Probatur antecedens: fluidum non poteſt continuari ſolido, vt patet in aqua contenta in vaſe: ergo cùm ſanguis ſit fluidus, caro autem ſolidior, non poterit ipſi continuari.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: non continuatur partibus ſolidis, immediate, eſto: mediante aliquo alio, nego: in ſanguine enim cernuntur quædam filamenta quæ fibræ dicuntur, & maxime apparent in ſanguine craſſiori, putà bouino: & huiuſmodi fibræ mediant inter venas & ſanguinem, itavt nec ſint abſolutè ſolidæ, ſicut venæ & caro, nec ſimpliciter fluidæ, ſicut ſanguis, ſed de vtroque extremo participent: vnde his mediis ſanguis continuatur venis, & mediantibus venis carni, neruis, & oſſibus. Ex quibus patet ad probationem antecedentis: fluidum enim poteſt ſaltem mediate continuari ſolido, licet non ſit ſemper neceſſe quando non eſt pars eiuſdem compoſiti vt in exemplo illo de aqua cernitur.

Obiicies tertiò: dum ſanguis extrahitur à corpore aperta vena, videmus ſanguinem fluentem & extra poſitum continuari cum eo qui eſt in corpore: atqui certum eſt ſanguinem extractum nec continuari cum cæteris partibus animalis, nec anima informari: ergo nec intus exiſtens.

Reſpondeo ſanguinem cùm primum extra animal eſt, diſcontinuari, nec amplius anima informari; & duntaxat contiguum eſſe, eo modo quo duæ partes arboris, quarum vna viuit, altera arida eſt. Seu melius reſpondeo non continuari phyſicè, quia iam eſt

alterius naturæ, ſed tantum mathematicà.

Dico ſecundò dentes, vngues, capillos animari anima totius.

Probatur: quia illa verè animantur & viuunt, cùm conſtet ea nutriri & creſcere ab intrinſeco & per intus ſuſceptionem alimenti, quæ ſunt operationes vitales: atqui non animantur alia anima quàm totius, cum ſuprà oſtenſum ſit vnicam in quolibet viuente animam reperiri: ergo, &c.

Obiiicies: vngues & capilli ſunt quædam excrementa & ſuperfluitates viuentis: ergo non informanmantur anima ſeu forma totius.

Reſpondeo alia eſſe excrementa quæ natura ſibi retinet ad perfectionem & conſeruationem proprij indiuidui, & huiuſmodi ſunt vngues & capilli in animali, cortex & folia in arbore: alia verò quæ reiiciuntur tanquam inutilia, vt ſudor, ſaliua, lachrymæ, & ſimilia: priora non ſunt ita excrementa quin ſint etiam ſuo modo partes integrales viuentis minus præcipuæ, & ideo animantur & viuunt: ſecus verò alia. Ex quibus.

Inferes lac non informari animâ totius, nec viuere: quia non eſt de integritate viuentis, nam ſine illo cenſetur omnino integra natura, nec ordinatur ad perfectionem indiuidui in quo efformatur: ſed alterius. Vnde falſum eſt lac idem eſſe ſubſtantialiter ac ſanguinem albo colore affectum, cum ſanguis ſit vera pars integralis & animata.

SECTIO

SECTIO II.

Vtrùm anima ſit diuiſibilis, vel indiuiſibilis.

CVm quælibet anima plures materiæ partes informet, difficultas eſt vtrum id præſtet per diuerſas etiam ſui partes partibus materiæ correſpondentes in quas diuidi queat, vel per vnam indiuiſibilem entitatem quæ ſit tota in tota materia, & tota in qualibet eius parte.

Dico primò animas plantarum & imperfectorum animalium, quæ dicuntur ſectilia, vt ſunt vermes, ſerpentes, & huiuſmodi, eſſe diuiſibiles. Pro intelligentia.

Nota animalia ſectilia, dici ea quæ ſecari & diuidi poſſunt in partes ſeorſim viuentes, vt ſunt ea quæ in exemplum adduximus; inſectilia verò è contra: illa dicuntur imperfecta, quia animæ ipſorum ſunt totaliter immerſæ materiæ & paucarum admodum operationum principia, ſubindéque non requirunt corpus ita perfectè organizatum ſicut aliæ, & ideo ſaluari poſſunt in partibus ſeparatis: hæc verò dicuntur perfecta ob rationem oppoſitam. Ex quibus.

Probatur concluſio euidenter: Quod diuiditur, eſt diuiſibile: animæ plantarum & animalium imperfectorum diuiduntur: ergo. Probatur minor: quia partes illorum ſeparatæ viuunt, cùm videamus ipſas moueri adhuc ab intrinſeco, ſiue motu vegetatiuo nutritionis & augmentationis, vt non raró videmus in ramis abſciſſis; ſiue locali, vt cernere eſt in partibus ſerpentis, lumbrici, & aliorum ſectilium animalium: ergo manet in eis anima quæ ſola eſt

principium radicale vitæ, ſubindéque diuiditur: & ratio radicalis eſt quam in notabili adduximus.

Dico ſecundò animam rationalem & animas ſenſitiuas perfectorum animalium ſeu inſectilium eſſe indiuiſibiles & inextenſas.

Nota obiter aliud eſſe animal inſectum, aliud inſectile: inſectile eſt vt diximus quod non ſecatur in partes quæ ſeorſim viuant: inſectum, quod eſt ſine ſanguine, vt muſcæ, apes, & huiuſmodi.

Prima pars concluſionis eſt euidens: anima enim rationalis eſt entitatiue ſpiritualis: ergo indiuiſibilis, diuiſibilitas enim & ratio partium competit tantum rebus quantitatiuis & materialibus.

Secunda vero pars probatur contra Suarem & alios ex oppoſito fundamento primæ concluſionis; illud enim eſt indiuiſibile nec habet partes formaliter, quod nunquam diuiditur nec diuidi poteſt in eas, quando enim actus eſt omnino impoſſibilis non datur potentia ad ipſum: atqui animæ ſenſitiuæ perfectorum animalium non poſſunt actu diuidi in partes: ergo ſunt indiuiſibiles. Probatur minor: quia ſi anima leonis v. g. diuideretur in partes, ad diuiſionem materiæ viuerent partes leonis ſeparatæ: atqui hoc repugnat ſenſibus & experientiæ, cùm nuſquam viſum ſit quid ſimile: & ratio fundamentalis eſt etiam quam diximus in notabili, quia ſcilicet non habet in illis partibus ſeparatis diſpoſitionem & organizationem: ergo, &c.

Reſpondent aduerſarij animas perfectorum animalium non eſſe diuiſibiles in partes quæ perſeuerent partibus materiæ ſeparatis, ſed quæ pereant, quia non habent in eis diſpoſitiones & organizationem requiſitam, vt nos ſuperiùs innuimus: quod eſt eſſe diuiſibiles non in partes exiſtentes ſed inexiſtentes, vt in alia materia diximus aliàs.

Sed contra primò: quia ſi quando abſcinditur aliqua pars corporis animalis perfecti, abſcinderetur etiam aliqua pars animæ, verè remanere poſſet pro aliquo breui tempore in illa parte corporis ſe-

parata:ergo ſolutio nulla. Probatur antecedens:quia licet non eſſet in ea ſufficiens organizatio ad totam formam, eſſet tamen ſufficiens ad partem formæ, (ſicut enim ſe habet diſpoſitio ſeu organizatio totalis ad totalem formam, ita partialis ad partialem ſi partes habet; & ſi non ſufficeret vt diu perſeueraret, ſaltem vt breui tempore & in ſtatu viali ad corruptionem.

Secundò ex ipſa reſponſione, quæ continet fundamentum noſtræ concluſionis, ſic arguo: Anima leonis v. g. non habet ſufficientem diſpoſitionem & organizationem niſi in toto corpore, non verò in ſingulis partibus, & ideo in parte ſeparata non perſeuerat: ergo vere non habet partes correſpondentes partibus corporis, ſed eſt indiuiſibilis, tota in toto, & tota in qualibet parte. Probatur conſequentia: illa forma eſt indiuiſibilis indiuiſibiliterque informat & non per ſui partes, cuius ſubiectum formale in ratione talis eſt indiuiſibile: atqui ſubiectum formale animæ leonis in ratione ſubiecti eſt formaliter indiuiſibile, cùm conſtituatur per organizationem quæ conſiſtit in indiuiſibili: ergo, &c.

Dices: forma ignis habet partes in minimo naturali, & tamen nequit in partibus eius ſeparatis perſeuerare, quia in eis non habet ſufficientem diſpoſitionem quæ in minimo naturali conſiſtit in indiuiſibili: quidni idem dicatur in propoſito?

Sed contra: quia etſi forma ignis non poſſit diu & connaturaliter conſeruari in partibus minimi naturalis ſeparatis, poteſt tamen per breue tempus & in ſtatu viali ad corruptionem; quod de animabus perfectorum animalium conſtat dici non poſſe, atque adeo manet noſtrum argumentum in ſua vi.

Obiicies primò contra primam concluſionem: ſuprà reiecimus formas partiales: ergo formæ viuentium & animalium imperfectorum non habent partes in quas diuidi poſſint.

Reſpondeo reieciſſe nos formas partiales heterogeneas & ſpecie inter ſe diuerſas, ſiue à forma to-

tali diſtinguantur, ſiue dicantur eam conflare; non verò formas partiales homogeneas, id eſt partes formæ eiuſdem inter ſe rationis in quas diuidi poſſit beneficio ſcilicet quantitatis à qua rationem partium formaliter ſortiuntur, quas partes in animabus imperfectorum animalium admittendas eſſe conuicimus & nemo negare poteſt; vnde ſic diſtincto antecedenti neganda eſt conſequentia.

Dices in parte abſciſſa non eſt debita organizatio.

Reſpondeo non eſſe debitam organizationem aut diſpoſitionem vt perſeueret diu & in ſtatu connaturali, bene vt tranſeunter & in ſtatu violento ac viali ad corruptionem.

Obiicies primò contra ſecundam: partes animalium perfectorum, etiam hominis, ſeparatæ viuunt aliquantiſper ſaltem: ergo animæ illorum ſunt diuiſibiles. Probatur antecedens: quia videmus eas nonnunquam à principio interno moueri, vt apparet in capitibus iugulatorum, quæ interdum ſaltant.

Reſpondeo negando antecedens: ad probationem nego huiuſmodi motus aut ſaltus eſſe à principio actiuo interno, ſed virtute aliquâ impulſiuâ à principio externo (nempe à ſpiritibus vitalibus immediatè antea ad locum læſionis magno impetu confluentibus) capiti impreſſa fieri, naturaliter loquendo, quod addo, quia illud quod legitur de capite Diui Pauli quod ter ſaltauerit & nomen Domini Ieſu inuocauerit, miraculoſum erat, nec tamen illi motus aut verba erant vitalia ſeu ab interno principio, ſed virtute diuina fiebant.

Dices: ſi pars abſciſſa ſtatim applicetur ſuo loco, conſolidatur & viuit ſicut antea: ergo ſignum eſt animam non fuiſſe adhuc ſeparatam, quia à priuatione ad habitum non datur naturaliter regreſſus.

Reſpondeo negando conſequentiam: ad probationem diſtinguo: à priuatione ſubſtantiali totali, concedo: partiali tantum, nego: quia poteſt per

coniunctionem ad indiuiduum iterum diſponi, eo proportionali modo quo materia alimenti.

Inſtabis: ſi non abſcindatur pars animæ, debebit anima ſe ſe retrahere à parte ſeparata, & veluti ſe ſe replicare ſupra alias.

Reſpondeo negando hanc imaginationem: cùm enim anima illa ſit indiuiſibilis, non habet partem quæ debeat replicari ſupra alias quando pars materiæ abſcinditur, ſed ſimpliciter deſinit eam informare.

Obiicies primò ſpecialiter contra ſecundam partem concluſionis: Animæ perfectorum animalium, homine excepto, ſunt materiales & corporeæ: ergo ſunt extenſæ & diuiſibiles. Probatur conſequentia. Primò, quia forma materialis & corporea debet proportionari materiæ: ergo ſicut materia eſt extenſa & diuiſibilis, ita & forma illa. Secundo, quia ideo anima rationalis eſt indiuiſibilis quia eſt ſpiritualis: ergo ex oppoſito omnis forma materialis erit diuiſibilis.

Reſpondeo conceſſo antecedente negando conſequentiam. Ad primam probationem diſtinguo antecedens: debet proportionari materiæ, quantum ad rationem actus informantis, ſeu tanquam actus potentiæ, concedo: quantum ad modum diuiſibilis ſeu extenſionis formalis, nego: quia hoc oritur ex imperfectione materiæ à qua licet dependeant animæ perfectæ brutorum, ſunt tamen valde eleuatæ ſupra conditiones illius, maximéque ad perfectionem animæ rationalis accedunt: vnde negatur conſequentia. Ad ſecundam probationem reſpondeo negando rationem illam eſſe adæquatam indiuiſibilitatis animæ: ratio enim adæquata & pro anima rationali & pro ſenſitiua perfecta, eſt ea quam ſupra adduximus, nempe indiuiſibilis modus informandi ob diſpoſitionem ſeu organizationem quæ reſpectu illarum conſiſtit in indiuiſibili: ſpiritualitas verò eſt ſolùm ratio inadæquata habens locum in anima rationali tantum.

Dices : forma leonis v. g. non educitur ſecundum ſe totam ex ſingulis partibus materiæ , ſed ſecundum vnam partem ex vna materiæ portione, & ſecundum aliam ex altera : ergo habet partes & eſt diuiſibilis.

Reſpondeo negando antecedens , fit enim ſecundum ſe totam dependenter ab omnibus & ſingulis portionibus materiæ , quod eſt ſecundum ſe totam educi è ſingulis.

Dices ſecundò : Dum equus nutritur , acquirit portionem materiæ & ab ea educit portionem formæ.

Reſpondeo negando hoc ſecundum, quia non acquirit portionem formæ , ſed forma primò educta in generatione ſe ſe extendit ad informandam materiam aduenientem per nutritionem , quod habent commune formæ materiales perfectorum animalium cum anima rationali , & ideo licet non ſint extenſæ & diuiſibiles formaliter , dicuntur nihilominus tales virtualiter quia plures partes informant æquè ac ſi haberent partes formales ipſis correſpondentes.

DISPVTATIO III.

De potentiis animæ in communi.

EXPLICATIS his quæ tangunt naturam animæ in communi , oportet de potentiis vitalibus ab ea dimanantibus diſſerere.

SECTIO I.

An potentiæ animæ ſpecificentur ab actibus & obiectis.

QVÆ dicemus de potentiis animæ, debent proportione ſeruata aliis potentiis nec non etiam habitibus applicari. Senſus autem quæſtionis eſt, vtrum potentiæ ſpecificentur ab actibus & obiectis tanquam ab extrinſecis ſpecificatiuis. Certum enim eſſe debet non ſpecificari intrinſecè ab eis, cùm ſint quid extrinſecum & extra eſſentiam. Pro reſolutione.

Dico potentias animæ deſumere ſuam ſpecificationem, ſeu vnitatem vel diſtinctionem ſpecificam ab actibus & obiectis formaliter ſumptis. Eſt contra Scotum.

Probatur: ab eo ſpecificantur potentiæ, per ordinem ad quod eſſentialiter definiuntur ac diuerſificantur: atqui eſſentialiter definiuntur & diuerſificantur per ordinem ad actus & obiecta formalia: ergo ſpecificantur ab illis. Maior eſt euidens: quando enim aliquid eſſentialiter definitur aut diuerſificatur per intrinſecum ordinem ad aliquod extrinſecum, dicitur extrinſecè ſpecificari ab illo, cùm ordo ad illud intrinſecè ipſum ſpecificet: ergo ſi potentiæ eſſentialiter diuerſificentur & definiantur per ordinem ad actus & obiecta, ſpecificantur extrinſecè ab eis. Quod autem res ita habeat, quæ eſt minor probanda, ſuadetur: non enim aliter diuerſificantur eſſentialiter & ſpecificè potentiæ aut definiuntur quàm per ordinem ad diuerſos actus & diuerſa obiecta formalia, ſicut potentia viſiua per ordinem ad viſio-

nem & viſibile quod eſt lux & color, auditiua per ordinem ad actum audiendi & ſonum, &c.

Confirmatur & explicatur: Potentiæ reſpiciunt per ſe primo operationes, & illis mediantibus obiecta: ergo ſimul ſpecificantur ab actibus & obiectis, ab actibus quidem immediatè, ab obiectis verò mediatè quatenus ipſi ab eis ſpecificantur: ratione cuius ſubordinationis inter actus & obiecta in ratione ſpecificatiuorum potentiæ pro eodem ſumunt Philoſophi ſpecificari ab actibus vel ab obiectis. Ex quibus habes operationes & obiecta reſpectu potentiarum vitalium, & actiones effectúſque ſeu terminos productos reſpectu aliarum (de quibus eodem modo philoſophandum diximus, & ratio concluſionis conuincit) habere rationem & cauſæ finalis & cauſæ formalis extrinſecè eas ſpecificantis.

Obiicies primò: Si vnitas ſpecifica potentiæ deſumeretur ab vnitate obiecti, & diſtinctio à diuerſitate illius, non poſſet vna potentia reſpicere diuerſa obiecta, nec multiplex ſpecie diſtincta vnum: conſequens eſt falſum, nam vnus & idem intellectus reſpicit infinita propemodum obiecta, & intellectus ac voluntas quæ realiter & ſpecie diſtinguuntur reſpiciunt idem obiectum, ille enim reſpicit verum, hæc bonum, quæ ſunt idem ens. Idem argumentum fieri poteſt de actibus, ſaltem quoad hoc quod vna & eadem ſpecie potentia elicit actus ſpecie diuerſos: vt intellectus actus ſcientiæ, erroris, &c. voluntas actus virtutum & vitiorum.

Reſpondeo vnitatem vel diuerſitatem potentiarum aut habituum non deſumi ab vnitate vel diuerſitate materiali obiectorum, quæ reperitur in exemplis adductis, ſed formali, quo modo omnia quæ reſpiciuntur ab intellectu (& idem proportionaliter dic de aliis) ſunt vnum & idem formale obiectum, quatenus ſub vna & eadem formali ratione intelligibilis & veri reſpiciuntur, etſi in eſſe entis & materialiter diuerſiſſima: quo etiam modo verum & bonum ſunt è contra diuerſa formaliter in

ratione obiecti, eo quod ſub diuerſis rationibus reſpiciantur, vt in ſuis locis dicemus, quamuis materialiter ſint idem ens. Ex quibus patet ad formam argumenti, & ad id quod additur de actibus, ſunt enim ſpecie diuerſi in eſſe entis tantùm & materialiter ſicut obiecta partialia quæ reſpiciunt (ſi ad potentiam comparentur) non verò formaliter, propter eandem rationem formalem ſub qua reſpiciunt illa.

Obiicies ſecundò: Si potentia intellectiua v. g. ſpecificaretur à ſuo actu & obiecto, non diſtingueretur ſpecie à ſuis habitibus puta ab habitu Phyſicæ: conſequens eſt falſum, cùm habitus pertineat ad primam ſpeciem qualitatis, potentia ad ſecundam: ergo, &c. Probatur ſequela: quia habent idem obiectum, aut certè obiectum habitus continetur ſub obiecto potentiæ, vt ens mobile ſub intelligibili & verò: ergo habitus eſſet idem cùm potentia, aut contineretur ſub illa ſicut ſpecies ſub genere, quod non eſt minus abſurdum.

Reſpondeo negando ſequelam maioris: ad probationem reſpondeo obiectum habitus eſſe idem aut contineri ſub obiecto potentiæ in eſſe entis duntaxat & materialiter, non verò formaliter & in eſſe obiecti: nam obiectum Phyſicæ v. g. eſt ens mobile reduplicatiuè vt tale & cum hac limitatione; obiectum verò intellectus eſt ens vt ſic ſub ratione veri & intelligibilis abſolutè & præciſè: conſtat autem illud non contineri formaliter vt tale ſub iſto, neque enim verum eſt ens mobile reduplicatiuè vt tale eſſe ens intelligibile ſub ratione abſoluta intelligibilis, ſunt enim diuerſæ rationes formales: ſicut non poteſt dici hominem vt hominem reduplicatiuè eſſe animal vt animal.

Obiicies tertiò: Actus ſunt poſteriores potentiis: ergo non poſſunt eas ſpecificare, ſed præſupponunt ſpecificatas.

Reſpondeo eſſe poſteriores in genere cauſæ efficientis, priores in genere cauſæ finalis (cùm potentiæ per ſe primò reſpiciant operationes, ſintque à na-

tura inſtitutæ propter ipſas.) & in genere cauſæ formalis extrinſecæ : vnde hac poſita diſtinctione negatur conſequentia.

Quæres, à ſuo ſumantur vnitas & diſtinctio numerica potentiarum.

Reſpondeo ab vnitate aut diſtinctione numerica ſubiectorum quibus inſunt, vt de omnibus accidentibus generaliter docebimus in Metaphyſica.

SECTIO II.

Quot genera potentiarum animæ, & quodnam illarum ſubiectum.

DIco primò quinque eſſe genera potentiarum, vitalium, ſeu facultatum animæ in varias ſpecies diuiſibilia, nempe vegetatiuum, ſenſitiuum, intellectiuum, appetitiuum, & loco motiuum.

Prima pars probatur: Potentiæ, vt ſectione præcedenti oſtendimus, eſſentialiter diuerſificantur penes obiecta: ſed quinque ſunt genera obiectorum circa quæ potentiæ animæ verſantur: ergo quinque ſunt genera potentiarum animæ. Probatur minor: Quælibet potentia vitalis habet pro obiecto ens aliquod coniunctum viuenti, vel realiter ſecundum ſuam entitatem phyſicam, vel intentionaliter per ſui ſpeciem, cùm aliæ potentiæ non vitales verſentur circa res merè externas: atqui quintuplex tantum aſſignari poteſt ens alterutro modo viuenti coniunctum circa quod potentiæ illius operentur ergo, &c. Probatur minor: nam illud circa quod facultas animæ operatur, vel eſt alimentum intus ſuſceptum vt conuertibile aut in propriam ſubſtantiam, aut in alteram (mediate ſaltem, beneficio ſcilicet ſeminis) &

ad hoc ordinatur potentia vegetatiua; vel eſt ſingulare ſenſibile prout tale, ad quod ordinatur potentia ſenſitiua: vel vniuerſale vt intelligibile, ad quod inſtituta eſt potentia intellectiua: vel eſt bonum ſub ratione boni, id eſt illud idem obiectum ſenſibile aut intelligibile repræſentatum ſub ratione conuenientis, & pro hoc ſtatuitur potentia appetitiua: vel tandem eſt bonum apprehenſum & deſideratum vt aſſequibile per motum localem, & ad hoc ponitur facultas loco-motiua, de cuius diſtinctione à cognoſcitiua & appetitiua agemus conuenientius in fine huius tractatus. Primum ex illis obiectis vnitur viuenti realiter ſecundum ſuam entitatem phyſicam vt conſtat, alia verò intentionaliter & per ſpecies.

Confirmari poteſt eadem pars ex numero operationum animæ, quæ ſunt quinque, vegetatio, ſenſatio, intellectio, appetitio, & motus progreſſiuus: ergo ſunt quinque genera potentiarum.

Secunda verò pars facilè oſtenditur: ſicut enim prædictæ operationes & obiecta diuiduntur in vlteriores ſpecies: ita & potentiæ: nempe vegetatiua in nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam: ſenſitiua in ſenſus internos & externos: intellectiua, in intellectum agentem & patibilem: appetitiua, in appetitum ſenſitiuum & intellectiuum: & tandem loco-motiua, in facultatem progreſſiuam, volatiuam, &c.

Obiicies primò: Senſus & intellectus ſunt duo genera potentiarum: ergo etiam appetitus ſenſitiuus & intellectiuus, ſubindéque erunt ſex.

Reſpondeo negando conſequentiam: ratio diſcriminis eſt quia ſenſus verſantur circa ſingularia, intellectus verò circa vniuerſalia: at verò vterque appetitus fertur in ſingularia, non enim appetimus bonum in vniuerſali & in abſtracto, ſed hoc & illud in particulari: atque adeo vterque appetitus habet idem genus obiecti.

Dico ſecundo potentias organicas animæ immediatè ſubiectari in compoſito, & non in ſola for-

ma : non organicas verò, quæ ſunt intellectus & voluntas, in ſola anima à qua dimanant.

Prima pars probatur : Potentiæ orgánicæ dicuntur illæ quæ medio organo tanquam inſtrumento eliciunt ſuas operationes : atqui illæ non ſubiectantur in ſola materia aut in ſola anima, ſed in compoſito ex vtraque, nempe in ipſo organo . ergo, &c. Probatur minor : quia potentiæ recipiuntur in ipſa eſſentia à qua dimanant : ſed illæ non dimanant à ſola materia, vt eſt nimis euidens : nec à ſola forma, aliàs ſeparata poſſet elicere operationes ſenſitiuas : ergo, &c.

Secunda verò pars non eſt minus euidens : potentiæ enim non organicæ dicuntur illæ quæ independenter à materia & organo corporeo operantur, eo quod ſint purè ſpirituales, ſubindéque independentes in fieri, eſſe, & operari à corpore, abſolutè loquendo : atqui huiuſmodi, quæ ſunt intellectus & voluntas, ſubiectantur in ſola anima, cùm ab ea ſola dimanent, & in ſtatu ſeparationis perſeuerent, ſuáſque eliciant operationes : quod non conuenit facultatibus organicis hominis, quia hæ earumque operationes dependent ab organo cui ſunt affixæ, ſubindéque deſtruuntur dum anima ſeparatur. Et hæc de anima in communi.

DISPVTATIO IV.

De anima vegetatiua, eiuſque potentiis.

EXplicata ſemel natura animæ & potentiarum eius in communi, conſequens eſt vt de triplici eius ſpecie in particulari agamus, & in pri-

mis de anima vegetatiua, vt pote communiori & imperfectiori.

Quid autem ſit anima vegetatiua, facilè haberi poteſt ex dictis de quidditate animæ in communi, nam ſi in ratione eſſentiæ ſeu in ordine entitatiuo conſideretur, definiri debet actus primus corporis phyſici organici potentiâ vitam vegetatiuam habentis, ſeu cui vitam ſolum vegetantem confert, in quo differt a ſenſitiua quæ tribuit illi eſſe ſenſitiuum, & à rationali quæ intellectiuum. Si verò ſpectetur in ratione naturæ & in ordine operatiuo, definiri debet principium radicale vegetandi, id eſt nutriendi, augendi, & generandi, ſed circa hoc eſt difficultas, vtrum ſcilicet animæ vegetatiuæ vt ſic conueniant hæ tres operationes facultatéſue nutriendi: augendi & generandi. Vnde.

SECTIO I.

De triplici facultate animæ vegetatiuæ, nutritiuâ, augmentatiuâ, & generatiuâ.

ADuerte viuentia eſſe in triplici differentia quantum attinet ad propoſitum. Nam alia ſunt ita perfecta quod à ſuo ſimili ſemper expetunt generari, vt homo, bos, & ſimilia. Alia verò ita imperfecta, vt nunquam à ſuo ſimili generentur, ſed ſemper ex putri materia fiant, virtute & influentiâ cauſæ dumtaxat æquiuocæ aut vniuerſalis,,vt conchylia, anguillæ & innumeræ plantæ. Alia denique ſunt veluti media, quæ interdum à ſuo ſimili, medio ſemine deciſo ab illo, interdum ex putredine gignuntur, vt muſcæ, mures, & ſimilia. Quo poſito.

Dico primo animam vegetatiuam vt ſic, prout abſtrahit ab animabus viuentium perfectorum & imperfectorum, habere duas tantum potentias, nutritiuam ſcilicet & augmentatiuam; ſumptam verò in particulari prout contractam ad animas viuentium, quæ ſibi ſimile generant aut generare poſſunt, habere tertiam, nempe generatiuam.

Vtraque pars eſt euidens: & prima quidem, quia omni omnino viuenti competit quod ſeipſum nutritat & augeat, in quo differt à non viuente; non autem conuenit omni quod generet ſimile, vt patet ex notabili: ergo animæ vegetatiuæ vt ſic conueniunt potentia nutritiua & augmentatiua non verò generatiua, cùm in aliquibus viuentibus nunquam reducatur ad actum, ſubindéque ibi eſſet fruſtra. Secunda verò, quia ab actu ad potentiam valet conſequentia: ergo cùm viuentia perfecta generent ſibi ſimile, conuenit illis potentia generatiua: & ratio eſt quia anima vegetatiua perfecta non ſolùm ordinatur ad perfectionem & conſeruationem indiuidui, quam aſſequitur per nutritionem & augmentationem, ſed etiam ſpeciei, ad quam neceſſaria eſt generatio, ſubindéque facultas generatiua quà viuens producat ſibi ſimile in ſpecie. Ex quibus.

Infero; & dico ſecundò animam vegetatiuam rectè definiri Principium radicale nutriendi, augendi, & generandi vitaliter, dummodo hæc definitio intelligatur in ſenſu diſtributiuo accommodo, ita vt ſenſus ſit animam vegetatiuam eſſe principium nutriendi & augendi in iis quæ nutriuntur & augentur, & generandi ſibi ſimile in his quæ generant. Additur, vitaliter, quia non qualiſcumque generatio eſt propria operatio animæ vegetatiuæ, ſed ea ſola quæ eſt à principio generante coniuncto rei genitæ, ſubindéque vitali, vt infra ſuo loco explicabitur.

SECTIO II.

An ſupradictæ potentiæ realiter diſtinguantur tum à calore naturali, tum inter ſe.

DIco primò potentiam nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam eſſe facultates realiter diſtinctas à calore naturali & temperamento quatuor primarum qualitatum.

Probatur quia ſunt potentiæ vitales per ſe primò dimanantes ab anima vegetatiua, at verò calor ſecundum ſuam rationem ſpecificam non eſt potentia vitalis, nec dimanat ab anima vegetatiua vt tali, ſed ab ea inquantum eſt forma corporea: ergo prædictæ facnltates realiter diſtinguntur à calore naturali, eoque ſolùm vtuntur tanquam inſtrumento ad concoquendum & digerendum cibum, ex quo ſic concocto & digeſto facultas nutritiua per propriam actionem (introducendo diſpoſitionem aut organizationem ſpecialem requiſitam vt materia alimenti informetur animâ viuentis) conuertit portionem aliquam ſubſtantiæ eius in ſubſtantiam viuentis, facultas augmentatiua per ſuam operationem conuertit illius quantitatem in propriam eiuſdem viuentis quantitatem, & generatiua aliquid ſuperfluum conuertit in ſemen, cui vim inſtrumentalem alterius generatiuam imprimit. Vnde habes quod ſicut vnum inſtrumentum, præcipuè coniunctum, vtitur alio inſtrumento, vt manus penicillo; ita prædictæ facultates, quæ ſunt virtutes inſtrumentariæ animæ vegetatiuæ immediatè ab ea dimanantes, vtuntur calore naturali aliiſque qualitatibus veluti inſtrumentis ad ſuas functiones.

Dico ſecundò potentiam nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam eſſe realiter diſtinctas inter ſe.

Probatur: illæ facultates diſtinguuntur inter ſe, quæ per ſe primò reſpiciunt operationes & terminos formales diuerſos, aut ab eis deſumunt ſuam ſpecificam vnitatem aut diuerſitatem, vt ſuprà oſtendimus, atqui prædictæ facultates per ſe primò reſpiciunt diuerſas formaliter operationes & terminos, nutritiua enim per ſe primò ordinatur ad conuertendam ſubſtantiam alimenti in propriam ſubſtantiam viuentis, generatiua ad producendam aliam medio ſemine ex eodem alimento efformato, augmentatiua verò ad conuertendam quantitatem illius in propriam viuentis quantitatem, vnde licet verſentur circa idem materialiter alimentum, ſub diuerſis tamen rationibus formalibus illud reſpiciunt.

Obiicies: Vna & eadem potentia poteſt eſſe nutritiua conuertendo per ſe primò vnam portionem alimenti in propriam; augmentatina, conuertendo ex conſequenti & ſecundario quantitatem illius portionis in quantitatem viuentis, & generatiua, formando ex eodem alimento ſemen, ſicut inquantum nutritiua format ſanguinem, non enim maior requiritur virtus ad vnum quàm ad aliud: ergo non ſunt facultates realiter diſtinctæ.

Reſpondeo negando antecedens: quia ad actus & terminos, formales diuerſos, qui per ſe primò reſpiciuntur, ponendæ ſunt diuerſæ eſſentialiter & realiter potentiæ: cùm ergo ſubſtantia acquirenda & veluti aggeneranda per ſe primò reſpiciatur à potentia nutritiua, quantitas ab augmentatiua, & altera ſubſtantia in ſpecie ſimilis à generatiua facultate, debent huiuſmodi facultates diſtingui. Quod magis conſtabit ex dicendis de diſtinctione nutritionis ab augmentatione, & vtriuſque à generatione, deque illarum terminis. Vnde fit.

SECTIO III.

De nutritione & augmentatione.

DIco in primis dari veram nutritionem & augmentationem, hoc eſt ſubſtantiæ & quantitatis alimenti in ſubſtantiam & quantitatem aliti ſeu viuentis, veram realem conuerſionem, virtute intrinſecâ ipſius viuentis factam.

Hanc concluſionem ſic explicatam negat Magiſter ſententiarum in 3. diſt. 30. exiſtimans alimentum non tranſire ſubſtantialiter in ipſum alitum, ſed totam ſubſtantiam viuentis conſiſtere in particula illa quam recipit à generante, quæ in ſe multiplicatur aut dilatatur, ipſo alimento ſe habente tantum vt fomento. Vnde exiſtimat totam cuiuſque hominis ſubſtantiam conſiſtere in particula quadam ab ipſo Adamo deciſa, ita vt ea quæ à protoparente communicata eſt filiis ab ipſo immediatè genitis, multiplicata ſit aut veluti per raritatem aucta in illis, & ex illa ſic aucta (quæ re ipſa erat eadem quæ accepta fuerat ab Adamo, abſque vlla additione) deciſa fuerit rurſum particula ad generationem aliorum qui à filiis Adæ procreati ſunt, quæ ſimiliter in eis modo dicto excreuerit; & ſic gradatim ad omnes poſteros peruenerit, atque ita totum id quod eſt de veritate noſtræ naturæ fuit in Adamo idem planè numero iuxta Magiſtrum, nihilque alterius ſubſtantiæ in poſteris permixtum eſt aut permiſcetur in nobis per generationem, nutritionem, vel augmentationem. Huius verò ſententiæ, quæ ab omnibus reiicitur, fundamenta inferius ponemus.

Probatur verò noſtra concluſio: & in primis de augmentatione ſic arguo: quia videmus hominem &

quodlibet viuens creſcere & augeri in quantitate ſeu magnitudine: ſed huiuſmodi incrementum non poteſt fieri niſi acquirendo nouam quantitatem : ergo, &c. Probatur minor: neque enim augmentum illud attribui poteſt rarefactioni, cum conſtet membra hominis adulti ſolidiora eſſe & denſiora quàm pueri, cuius oppoſitum contingeret ſi creſcerent tantum per rarefactionem. Ex quibus ſic arguo etiam quoad nutritionem : quia non poteſt acquiri noua quantitas niſi acquiratur etiam noua ſubſtantia : ergo cùm per augmentationem acquiratur noua quantitas, ſeu quantitas ipſius alimenti tranſeat in quantitatem aliti, vt probatum relinquitur, debet conſequenter, &c. Probatur antecedens : illa enim quantitas de nouo acquiſita vel reciperetur in ſubſtantia præexiſtenti viuentis, in qua iam erat ſua quantitas, & ſic duo accidentia ſolo numero diſtincta eſſent in eadem ſubſtantiali parte : vel maneret ſine ſubiecto, quod eſt naturaliter impoſſibile: vel tandem inhæreret adhuc ipſi ſubſtantiæ alimenti quæ perſeueraret ſub propria ſpecie, vt vult Magiſter : ſed hoc eſt quod impugnatur, ſi enim quantitas illa conuerſa eſt in quantitatem propriam aliti, non poteſt inhærere niſi ſubſtantiæ ipſius aliti, atque ita neceſſe eſt quod ſubſtantia alimenti facta ſit ſubſtantia ipſius aliti per veram conuerſionem.

Confirmatur : quia per alimentum verè reparatur damnum viuenti illatum per calorem naturalem, id eſt ſubſtantia vi illius caloris deperdita reſarcitur: hoc autem non fieret niſi ſubſtantia alimenti in ſubſtantiam viuentis conuerteretur, cederétque in locum deperditæ.

Obiicies : Matthæi 15. ait Chriſtus : Omne quod intrat in os, in ventrem vadit & in ſeceſſum emittitur: ergo ſubſtantia alimenti non tranſit in ſubſtantiam aliti, ſiquidem eiicitur.

Confirmatur : Si alimentum in veritatem ſubſtanſtantiæ aliti tranſiret, poſſet viuens perpetuò reparare ſuam ſubſtantiam, ſicque contra mortem ſe ſe ſemper tueri.

Confirmatur rurſus: Si ſubſtantia per nutritionem acquiſita pertineret ad veritatem ſubſtantiæ ipſius aliti, impoſſibilis fieret reſurrectio in eadem carne, non enim poſſet vnicuique reſtitui totum quod ad veritatem ſuæ ſubſtantiæ aut carnis pertinuiſſet, vt arguebamus part. 1. Diſp. 2. ſect. 1.

Ad obiectionem reſpondeo ly omne ſumendum eſſe in ſenſu diſtributiuo accommodo, ita vt ſit ſenſus ex omni quod intrat in os aliquid foras emitti: quod congruit intentioni Chriſti Domini dicentis ea ſolum coinquinare hominem quæ exeunt è corde, fornicationes, adulteria, &c. non verò ea quæ intrant per os; cuius rationem reddit, quia omne quod intrat ſi coinquinat hominem hoc eſt ratione alicuius impuritatis, totum autem quod habet impuritatis cibus intrans per os, eiicitur, atque adeo non coinquinat.

Ad primam confirmationem nego ſequelam: quia calor naturalis nutritioni deſeruiens, cum repatiatur ab alimento, paulatim debilitatur, & tandem ad eum ſtatum deuenit vt parum ex alimento conuertere poſſit, & demum nihil, & tunc naturaliter ſequitur mors.

Ad ſecundam confirmationem reſponſum eſt loco citato. Vide ibi.

§ I.

An nutritio & augmentatio ſint motus continui, vbi reſoluitur an ſubſtantia materialis habeat partes.

INcipiendo à poſteriori difficultate, quam non incongruè ad hunc locum remiſimus propter connexionem cum priori.

Dico primò ſubſtantiam materialem non habere partes ex ſe & præcisâ aut ablatâ quantitate, ſed ſine hac fore inextenſam & indiuiſibilem priuatiuè. Supponit concluſio quantitatém poſſe diuinitus ſeparari à ſubſtantia materiali, ita vt iſta maneat illâ ablata, ſicut è conuerſo in Euchariſtia manet quantitas ſublatâ panis ſubſtantia: quo poſito aſſerit ſubſtantiam illam fore indiuiſibilem, non quidem negatiuè, id eſt omnino incapacem extenſionis, id enim proprium eſt puncti, inſtantis, & rerum ſpiritualium; ſed priuatiuè, id eſt carentem ex ſe diuiſibilitate & extenſione, cum capacitate tamen & aptitudine ad eam. Et ſic intellecta concluſio eſt contra Suarem & alios qui in ſubſtantia corporea admittunt partes entitatiuas ſublatâ etiam quantitate.

Probatur tamen ex dictis in Logica de eſſentia ſeu formali ratione quantitatis: impoſſibile eſt alicui competere effectum formalem alicuius formæ independenter ab illa? ſed habere partes ſeu diuiſibilitatem eſt proprius effectus formalis quantitatis: ergo nequit ſubſtantia habere partes & eſſe diuiſibilis independenter à quantitate. Maior eſt per ſe euidens, tum ratione communi, quia non poteſt eſſe effectus ſine cauſa aut independenter ab illa; tum ſpeciali, quia effectus formalis nihil aliud eſt quàm ipſa forma vt communicata. Minor verò probata eſt contra aduerſarios in Logica, vbi ex profeſſo oſtendimus propriam & eſſentialem rationem quantitatis in eo ſitam eſſe quod ſit accidens habens partes, eaſque tribuens ſubſtantiæ. Vnde ſic rurſum arguo: Quod eſt omnino proprium alicui, non poteſt aliis competere niſi dependenter ab illo: atqui habere partes, ſubindéque diuiſibilitatem, eſt omnino proprium quantitati, cum in hoc conſiſtat eius eſſentia: ergo id non competit ſubſtantiæ, niſi dependenter ab illa. In idem redit dicere: Quando aliquid eſt per ſe & ratione ſui tale, non poteſt aliud eſſe tale niſi ratione illius & per participationem

eius: atqui quantitas eſt per ſe & ratione ſuæ propriæ eſſentiæ entitas ſiue forma habens partes & diuiſibilis: ergo.

Reſpondent aduerſarij ſubſtantiam materialem habere independenter à quocunque alio partes ſubſtantiales & entitatiuas in ſe ipſa; à quantitate verò emendicare ſolùm partes accidentales & quantitatiuas: Per partes autem quantitatiuas intelligunt eaſdem partes ſubſtantiales vt aptas ad occupandum locum, in qua aptitudinali ſeu radicali extenſione in ordine ad locum, conſtituunt eſſentiam & effectum formalem quantitatis.

Sed contrà: quia habere partes in ſe eſt propria & primaria ratio quantitatis: ergo nullas omnino partes etiam in ſeipſa poteſt habere ſubſtantia niſi beneficio quantitatis. Conſequentia eſt euidens. Antecedens loco citato efficaciter probatum eſt ex eo quod extenſio in ſe aut hoc quod eſt habere in ſe partes ſit id quod concipimus primum in quantitate & vt radicem aliorum omnium quæ ipſi attribuuntur: ideò enim, vt ibi arguebamus, quantitas habet partes extenſas in ordine ad locum, quia prius habet illas in ſe: quod etiã verum habet de extenſione radicali aut aptitudinali in ordine ad locum, prius enim ex modo concipiendi eſt rem eſſe talem in ſe quàm eſſe talem in ordine ad aliud præſertim quando res eſt ſecundum ſuam eſſentiam abſoluta, ſicut eſt quantitas. Deinde, vt ibidem probabamus, illa aptitudinalis & radicalis extenſio in ordine ad locum, in qua conſtituunt aduerſarij eſſentiam quantitatis, nihil aliud eſt reipſa quàm formalis extenſio in ſe, ſicut riſibilitas radicalis nihil eſt aliud quam ipſa rationalitas: ergo ſicut iuxta illos implicat ſubſtantiam ſine quantitate eſſe radicaliter extenſam in ordine ad locum, ita & in ſe ipſa, ſubindéque vllas habere in ſe partes. Probatur antecedens: illa enim radix extenſionis in ordine ad locum debet eſſe aliquid formaliter, non poteſt dici eſſe aliud quàm extenſio in ſe, quid enim? ergo.

Obiicies primò: Accidens diuiſibile non poteſt recipi in ſubiecto indiuiſibili: ſed quantitas eſt accidens diuiſibile & habens partes, recipiturque in ſubſtantia materiali: ergo ſubſtantia materialis non eſt ex ſe indiuiſibilis.

Reſpondeo accidens diuiſibile non poſſe quidem recipi in ſubiecto negatiuè indiuiſibili, id eſt diuiſibilitatis & partium incapaci; bene tamen in ſubiecto priuatiue tantum diuiſibili, id eſt quod actu quidem non habet partes & diuiſibilitatem, eſt tamen capax & aptum habere beneficio illius accidentis: imo hoc eſt omnino neceſſarium, ſicut neceſſe eſt albedinem recipi in ſubiecto priuatiuè non albo, ſi enim iam ſit actu album non poteſt recipere nouam entitatem albedinis: ſubſtantia autem materialis ex ſe eſt indiuiſibilis ſolùm priuatiuè.

Inſtabis: Accidens diuiſibile debet recipi in diuerſis partibus ſubiecti: ergo præſupponit illud habere actu partes & diuiſibilitatem.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: in diuerſis partibus, quæ ſint aptitudinaliter tales antecedenter ad receptionem accidentis, formaliter verò conſtituantur per illud, concedo: quæ ſint tales actu antecedenter, nego: ſubindéque negatur & conſequentia.

Vrgebis: duæ ſubſtantiæ materiales ſunt actu numero diſtinctæ penes ſigillationem ſeu ordinem ad duas numerò quantitates, etiamſi actu non afficerentur illis, vt dicimus in Metaphyſica: ergo ſimiliter in eadem ſubſtantia materiali erunt actu diſtinctæ partes ſubſtantiales integrales eo ipſo quod reſpicient & exigent diuerſas partes quantitatis: quare enim ſola ſigillatio vel ordo ad diſtinctas quantitates totales ſufficiet ad diſtinctionem actualem ſubſtantiarum totalium; & non ſigillatio ad diuerſas partes quantitatis ſufficiet ad diuerſitatem actualem partium in illa?

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia ſigillatio ad diuerſas partes eiuſdem

quantitatis ſeu ad diuiſibilitatem nihil eſt aliud quàm capacitas recipiendi huiuſmodi diuiſibilitatem & partes, quod ſtat cum actuali indiuiſibilitate: at verò ſigillatio ad quantitates totales actu diuiſas, ſiue capacitas & exigentia illarum intelligi nequit ſine actuali diſtinctione ſubiectorum quæ illas recipere debent, vnum enim & idem ſubiectum non poteſt recipere duas quantitates actu diuiſas: atque ita licet actualis diſtinctio ſubſtantiarum totalium attendatur ſolùm penes ſigillationem ſeu ordinem ad diuerſam quantitatem totalem, actualis tamen diſtinctio partium non conuenit eidem ſubſtantiæ materiali, niſi ratione partium quantitatis actu informantis.

Obiicies ſecundò: ſi ſubſtantia haberet partes à quantitate, dependeret ab illa quantum ad eas: atqui hoc eſt falſum: ergo. Probatur minor: primò quia prius non dependet à poſteriori: atqui ſubſtantia eſt prior quantitate: ergo, &c. Secundò, quia partes ſubſtantiæ, puta caput, pedes, brachia, ſunt ſubſtantiales: ergo non dependent nec petuntur ab accidente.

Reſpondeo negando minorem: ad primam probationem, diſtinguo: prius, ſecundum eam rationem qua eſt prius, non dependet à poſteriori, concedo: ſecundum illam ſecundum quam eſt poſterius, nego: ſubſtantia autem quamuis ſecundum ſuam entitatem abſolutè conſideratam ſit prior quantitate, ſicut ſubiectum eſt prius forma, eſt tamen poſterior quantum ad rationem partium; ſicut in quantum alba eſt poſterior albedine: eſt ergo prior in genere cauſæ materialis, quantitas verò vt communicans illi partes eſt viciſſim prior in genere cauſæ formalis. Ad ſecundam probationem conceſſo antecedente nego conſequentiam: vel diſtinguo: Non petuntur aut dependent à quantitate, quantùm ad rationem ſubſtantialem, concedo: quantum ad rationem partium, nego.

Inſtabis: nihil ſubſtantiale ſumitur aut pendet ab

accidente: partes illæ etiam in ratione partium ſunt ſubſtantiales, ſeu intra lineam ſubſtantiæ, vt dicemus concluſione ſequenti: ergo, &c.

Reſpondeo negando maiorem abſolutè, de quo concluſione ſequenti in ſolutione obiectionum.

Obiicies tertiò: poteſt ſacerdos deſignare mediam partem hoſtiæ, quam conſecrat, alia medietate non conſecrata: ſed hoc fieri non poteſt niſi ſubſtantia habeat partes ſitque diuiſibilis independenter à quantitate: ergo. Probatur minor: in eo enim caſu diuideretur vna pars ſubſtantiæ ab alia comparte, manente quantitate indiuisâ: ergo eſt ex ſe & indepenter à quantitate diuiſibilis.

Reſpondeo negando minorem: ad probationem conceſſo antecedente nego conſequentiam: in eo enim caſu quamuis indiuiſa maneat quantitas, non tamen vna medietas ſubſtantiæ panis deſinit, aut in corpus Chriſti conuertitur, ſubindeque ab alia veluti diuiditur, niſi dependenter à quantitate à qua habet quod ſit medietas.

Obiicies quartò: ſi auferret Deus in inſtanti quantitatem à ſubſtantia totius Oceani, non maneret indiuiſibilis illa ſubſtantia: ergo haberet partes. Antecedens probatur: primò quia aliàs tota illa ſubſtantia in vnico inſtanti confluerer ad ſitum vnius puncti, ſicque fieret motus in inſtanti, quod implicat: Secundò, quia aliàs ſubſtantia totius Oceani non eſſet tunc maior ſubſtantiâ vnius guttæ: Tertiò, poſſet quis tunc deglutire totum Oceanum facilius quàm guttam.

Reſpondeo ſubſtantiam Oceani fore tunc indiuiſibilem priuatiuè: ad primam probationem antecedentis nego confluxuram eſſe ad ſitum vnius puncti, ſed omnino deſituram habere locum & extenſionem, ſicut paries ablata albedine deſinit eſſe albus: ad ſecundam, diſtinguendo: non eſſet maior, formaliter concedo, ſiquidem ablata quantitate nullam prorſus haberet magnitudinem: radicaliter, nego, exigeret enim ſemper quantitatem & molem illam

veluti

veluti immenſam quam modo habet : ad tertiam, nego illam imaginationem , ſubſtantia enim priuata quantitate , cùm non eſſet extenſa nec ſubinde localiter moueri poſſet , nequiret deglutiri.

Dices : illa ſubſtantia maneret in rerum natura : ergo in aliquo loco atque adeo eſſet extenſa in illo. Probatur conſequentia : impoſſibile enim eſt quod ſubſtantia materialis ſit in rerum natura , & non ſit alicubi.

Confirmatur : ſi Deus auferret quantitatem à ſubſtantia aquæ in vaſe exiſtentis , velletque poſtea eam illi reſtituere , deberet reſtituere in vaſe : ergo remanſiſſet ibi ſubſtantia illa.

Ad argumentum concesſo antecedente diſtinguo conſequentiam : maneret in aliquo loco , modo extenſo & locum illum occupando , nego : modo indiuiſibili , ea proportionali ratione qua corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus conſecratis , eſto. Vnde ad probationem diſtinguo pariter antecedens : impoſſibile eſt quod non ſit alicubi ; tanquam in loco & occupando ipſum ; nego , in ſuppoſitione facta : modo indiuiſibili ſenſu explicato , eſto. Non concedo abſolutè paritatem inter modum quo ſubſtantia corporis Chriſti eſt ſub ſpeciebus , & modum quo ſubſtantia materialis denudata à quantitate eſſet indiuiſibiliter in loco : illa enim eſt affixa ſpeciebus , & ideo ad motum ipſarum per accidens mouetur ; ſecus iſta.

Ad confirmationem permiſſo antecedente diſtinguenda eſt conſequentia modo explicato.

Dico ſecundò : quamuis ſubſtantia materialis non habeat ex ſe partes ſubſtantiales & entitatiuas , tamen prout ſubeſt quantitati habet illas etiam intra propriam lineam ſubſtantiæ. Nomine ſubſtantiæ materialis intelligitur tum ſubſtantia totalis , in his quæ conſtant materia & forma diuiſibili : tum ſola materia , in aliis quorum forma eſt indiuiſibilis & tota in toto , tota in qualibet parte. Eſt autem concluſio hæc contra nonnullos qui nobiſcum conueniunt in

præcedenti, ſed plus volunt, ſcilicet ſubſtantiam non ſolum ſublatâ quantitate fore indiuiſibilem, ſed etiam ſub illa talem manere intra propriam lineam, itavt tota ſit ſub tota quantitate & tota ſub qualibet parte, vt de animabus perfectorum animalium dictum fuit, cum aliquo exiguo diſcrimine quod aſſignant ſed male fundato vt ex dicendis conſtabit.

Probatur autem concluſio: quod eſt diuiſibile, habet partes: atqui ſubſtantia materialis quando actu ſubſtat quantitati, eſt diuiſibilis etiam intrà lineam ſubſtantiæ: ergo dum ſubſtat quantitati, habet partes in ſe & intra propriam lineam. Probatur minor, nam quando diuiditur panis v. g. non ſolum diuiditur eius quantitas, ſed etiam ſubſtantia ad diuiſionem ipſius quantitatis: ergo, &c.

Reſpondent ſubſtantiam ſub quantitate habere plures portiones ſub diuerſis partibus quantitatis actualiter identificatas (ratione cuius actualis identitatis dicatur eadem eſſe ſubſtantia ſub vna parte ac ſub alia, puta in capite & in pede) potentialiter verò diſtinctas, & hanc ſolam potentialem diſtinctionem inferri ex illarum ab inuicem ſeparabilitate, præſertim cum non ratione ſui ſed ſolùm ratione quantitatis diuidantur.

Sed contra: quia non eſt euidentius ſignum actualis diſtinctionis aliquorum, quàm diuiſibilitas & ſeparatio, ſiue fiat ratione ſui, ſiue ratione alterius: ergo portiones illæ ſubſtantiales nedum potentialiter, ſed etiam actualiter ſunt diſtinctæ ſub diuerſis partibus quantitatis, cùm ratione illius ſint ſeparabiles.

Confirmatur hoc: ſubſtantia habet actu partes ſubſtantiales intra lineam ſubſtantiæ dum quantitati ſubeſt, ſi vna remanente pereat alia, indiuiſa manente quantitate: atqui ſic eſt, nam vt ſupra obiiciebatur & conceſſum fuit poteſt conſecrari ſeu conuerti ſubſtantia vnius medietatis hoſtiæ in corpus Chriſti ſubindéque deſinere eſſe manente ſubſtantiâ alterius medietatis: ergo diſtinguuntur actu.

Confirmatur rurſum: quia abſciſſo pede abſcinditur ſubſtantia illius: ſed non abſcinditur proptérea ſubſtantia capitis: ergo ſubſtantia pedis non eſt actu eadem cum ſubſtantia capitis: quando enim duo identificantur, ablato vno aufertur & aliud. Nec valet illa diſtinctio potentialis, probatum enim eſt eam debere eſſe actualem ratione ſeparabilitatis.

Probatur ſecundò concluſio: quia nutritio eſt mutatio ſucceſſiua & continua, vt concluſione ſequenti oſtendetur: ergo terminus eius debet habere partes continuè & ſucceſſiuè acquiſibiles: atqui terminatur ad ſubſtantiam intra lineam ſubſtantiæ prout ſubeſt quantitati, ſicut augmentatio ad ipſam quantitatem intra lineam quantitatis: ergo ſubſtantia intra lineam ſubſtantiæ habet partes, quando ſubeſt quantitati.

Obiicies: ſubſtantia materialis vt præuenit quantitatem, non habet ex ſe partes aut vllam diuiſibilitatem intra lineam ſubſtantiæ: ergo neque prout ſubeſt quantitati. Antecedens concluſione præcedenti probatum eſt. Conſequentia verò ſic oſtenditur: ſubſtantia prout actualiter ſubſtat quantitati, nihil habet quod antecedenter ad illam non haberet, niſi effectum formalem eius: ſed habere partes intra lineam ſubſtantiæ non eſt effectus formalis quantitatis: ergo cum non habeat illas vt præuenit quantitatem, non habebit etiam prout ipſi ſubſtat; vel ſi tunc habeat, habebat etiam antea quod negamus. Probatur minor: partes prouenientes à forma accidentali tanquam effectus formalis illius ſunt accidentales & extra lineam ſubſtantiæ, ſicut & ipſa forma: ergo habere partes intra lineam ſubſtantiæ non eſt effectus formalis quantitatis.

Confirmatur & explicatur: ſicut enim eſſe album, qui eſt effectus formalis albedinis, eſt omnino extra lineam ſubſtantiæ affectæ albedine, ita eſſe extenſum ſeu habere partes, qui eſt effectus formalis quantitatis, eſt extra lineam ſubſtantiæ

affectæ quantitate: ergo ſicut illa non conſtituitur alba intra propriam lineam, ita nec iſta extenſa ſeu habens partes.

Confirmatur magis: effectus formalis formæ nihil aliud eſt quàm ipſa forma vt communicata: ſed eſſe extenſum eſt effectus formalis quantitatis: ergo nihil aliud eſt quam ipſa vt communicata ſubſtantiæ: ſed ipſa quantitas manet ſemper extra ſeriem & lineam ſubſtantiæ: ergo & eſſe extenſum.

Confirmatur rurſus, aut magis adhuc declaratur: propria ratio quantitatis eſt extra lineam ſubſtantiæ, ſed habere partes in ſe eſt propria ratio quantitatis, vt concluſione præcedenti dictum eſt: ergo. Vnde hæc concluſio videtur pugnare cum præcedenti quæ fundatur in hoc quod habere partes quomodocunque tandem ſit propria ratio & proprius effectus formalis quantitatis, quod non videtur verum ſi partes reperiantur in linea ſubſtantiæ. Nihilominus.

Ad obiectionem reſpondeo ſubſtantiam, vt præuenit quantitatem, non habere quidem actu, bene tamen in potentia partes & diuiſibilitatem, etiam intra lineam ſubſtantiæ, hoc ipſo quod ex ſe eſt capax & ſuſceptiua diuerſarum partium quantitatis: vnde in illo priori dicitur indiuiſibilis priuatiue tam per ordinem ad partes ſubſtantiales, quam per reſpectum ad partes quantitatiuas & accidentales, quatenus in illo ſtatu caret actu vtriſque cum aptitudine tamen & potentia ad illas habendas beneficio quantitatis, cuius ambæ ſunt effectus formalis, illæ tanquam materiale ſeu ſubſtratum, hæ tanquam formale: eſſe enim extenſum ſeu habere partes, qui eſt effectus formalis quantitatis, duo inuoluit: de formali ipſam extenſionem ſeu rationem habendi partes, quæ ſunt partes ipſæ quantitatiuæ & accidentales; de materiali & ſubſtrato, id quod extenditur ſeu habet partes illas, quæ ſunt aliæ partes

eis ſubſtantes ſubindéque ſubſtantiales. Neque enim intelligi poteſt extenſionem aut partes quantitatiuas recipi niſi in ſubiecto extenſo & in partibus eius, non quæ ſint actu antecedenter, ſed tunc quando actualiter ſubſternuntur partibus illis quantitatiuis. Vnde ad argumentum in forma diſtinguo antecedens: vt præuenit quantitatem non habet partes aut diuiſibilitatem intra lineam ſubſtantiæ, actu, concedo: in potentia, nego: & nego conſequentiam. Ad probationem diſtinguo minorem: habere partes intra lineam ſubſtantiæ non eſt effectus formalis quantitatis, quantum ad id quod effectus ille importat de formali, nego: de materiali & ſubſtrato, concedo. Similiter ad illius minoris probationem diſtinguo antecedens: ſunt accidentales & extra lineam ſubſtantiæ, quantum ad id quod important de formali, concedo: de materiali & ſubſtrato, nego.

Ad primam confirmationem nego paritatem in antecedente & in conſecutione: quia ſubſtantia materialis debet in ſe extendi dum recipit extenſionem quantitatiuam: non verò in ſe intra propriam lineam eſſe alba vt ſubſternatur albedini: vnde duplex eſſe extenſum debet neceſſariò in ea diſtingui, ſcilicet materiale ſeu ſubſtratum, & formale: non verò duplex eſſe album: quia non poteſt intelligi subeſſe extenſioni niſi ex parte ſui extenſa bene tamen ſubeſſe albedini non alba ex parte ſui.

Ad ſecundam confirmationem reſpondeo formam vt communicatam inuoluere etiam ſubiectum ſeu ſubſtratum cui ineſt aut communicatur, atque ita effectum etiam formalem importare vtrumque: & quoad formam, eſt extra lineam; quoad ſubſtratum, non.

Ad tertiam confirmationem conceſſa maiore: diſtinguo minorem: habere partes, vt quo, concedo: vt quod, nego. Quamuis enim quantitas id habeat quod ſit quanta & extenſa ſeu habens partes

& vt quo & vt quod, ad differentiam aliarum formarum quæ ſunt tales vt quo tantum (ſicut albedo quæ nequit dici alba niſi vt quo, quatenus eſt id quo ſubiectum eſt album) attamen eſſe quantum, extenſum, ſeu habens partes vt quod, conuenit etiam ipſi ſubſtantiæ dependenter ab illa. Ex quibus patet hanc concluſionem benè concordare cum præcedenti, ſaluatur enim quod habere partes ſit propria ratio formalis quantitatis, ſenſu dicto, effectuſque formalis eius; & quod ſubſtantia illas habeat etiam intra propriam lineam dependenter ab illa.

Dices: Si ſubſtantia diuidatur intra propriam lineam ad diuiſionem quantitatis, ergo antecedenter ad quantitatem eſt diuiſibilis, quod eſt contra primam concluſionem. Probatur conſequentia: quod enim poteſt diuidi ſiue immediatè ſiue mediante alio, diuiſibile eſt.

Reſpondeo hoc argumentum probare tantum ſubſtantiam antecedenter ad quantitatem eſſe diuiſibilem tantum remotè & mediatè, quod non negauimus, nec maiores vires habet contra hanc concluſionem quàm contra præcedentem, & ab omnibus concedi debet ſubſtantiam diuidi intra propriam lineam ad diuiſionem quantitatis. Vnde ex hoc noſtram hanc concluſionem probauimus,

Ex dictis verò de ſubſtantia materiali, infertur quid dicendum ſit de accidentibus etiam materialibus, nempe quod ſine quantitate ſint priuatiuè indiuiſibilia, diuiſibilia verò etiam intra propriam lineam ratione illius, ſicut de ſubſtantia diximus. Ratio generalis eſt, quia extenſio & ratio partium eſt propria quantitati, ſubindéque nequit aliis competere niſi dependenter ab ipſa, ſeu beneficio illius.

Aduerte autem nonnullos ſtatuere diſcrimen inter partes accidentales, & partes ſubſtantiales ſeu entitatiuas quæ conueniunt intra propriam lineam, quòd illæ ſint à quantitate vt à forma, hæ vt à conditione ſine qua non.

Dico tertiò nutritionem & augmentationem eſſe mutationes ſucceſſiuas & continuas.

Probatur minor mutatio continua & ſucceſſiua eſt ea qua terminus ſucceſſiuè & continuè per partes acquiritur: atqui per nutritionem & augmẽtationem acquiruntur ſubſtantia & quantitas, per partes ſucceſſiuè & continuè ſeu abſque interruptione, quanto tempore hæ mutationes exercentur; (ſubſtantia inquam vel totalis, id eſt tàm quoad materiam quàm quoad formam, in iis quæ conſtant materia & forma diuiſibili; vel partialis, id eſt quoad materiam ſolùm, in aliis:) ergo ſunt ſucceſſiuæ & continuæ. Probatur minor: & primo de augmentatione res eſt euidens, cùm quantitas, quæ eſt terminus eius, habeat partes per ſe & ratione ſui, ſubindéque petat ſucceſſiuè & per partes acquiri quando per ſe fit & producitur quantitas, ſiquidem per ſe intendit natura producere viuens ad debitam magnitudinem, vt operationes ſuæ ſpeciei exercere valeat: ergo per augmentationem ſucceſſiuè & per partes acquiritur quantitas: licet in prima rei productione fiat tota ſimul & in inſtanti, quia tunc non fit per ſe & ratione ſui, ſed ad productionem ſubſtantiæ quæ ſola per ſe primò tunc intenditur. De nutritione verò idem ex conſequenti ſuadetur, quandoquidem ſubſtantia etiam habet partes ſucceſſiuè acquiſibiles dependenter à quantitate, fitque coniunctim cum augmentatione, alias quantitas acquireretur ſine ſubſtantia ſubindéque ſine proprio ſubiecto vel ſubſtantia ſine quantitate, quod vtrumque implicat: ergo ſicut per augmentationem ſucceſſiuè & continuè acquiruntur partes quantitatis ita per nutritionem partes ſubſtantiæ.

Confirmatur concluſio ex diſcrimine inter primam ſubſtantiæ & quantitatis productionem ex vna parte, & nutrionem ac augmentationem ex altera In prima enim productione forma exigit certam & determinatam materiam ac quantitatem, ita vt nequeat ſub minori & minori produci, quia habet mi-

nimum quod ſic, & ideo ſimul & inſtanti introducitur, & producitur quantitas ſimul: at verò in nutritione & augmentatione iam ſupponitur res habere materiam & quantitatem quam de neceſſitate expoſcit: ergo poterit per nutritionem introduci forma ſubſtantialis in partes minores & minores materiæ, & per augmentationem acquiri quantitas per partes ſimiliter minores & minores.

Ex quibus habes ſubſtantiam alio modo incipere in prima ſui productione, aliter in nutritione in prima enim productione ſubſtantia totalis incipit per inſtans intrinſecum ſeu per primum ſui eſſe, quia tunc fit modo ſuo proprio, id eſt in inſtanti: in nutritione verò incipit per inſtans extrinſecum ſeu per vltimum ſui non eſſe, quia fit ad modum quantitatis per mutationem continuam & ſucceſſiuam & augmentatione coniunctam.

Obiicies: Si nutritio ſit mutatio ſucceſſiua & continua, ſequitur ſubſtantiam habere in ſe partes, cùm ad eam nutritio terminatur.

Reſpondeo diſtinguendo: Sequitur habere in ſe partes, ſublata quantitate, nego: prout ſubeſt illi, concedo: per nutritionem autem non acquiritur ſubſtantia niſi vt ſubſtat quantitati, quæ ſimul acquiritur per augmentationem.

Dico quartò augmentationem eſſe verum motum phyſicum per ſe & ratione ſui ſecus verò nutritionem.

Probatur: quia augmentatio habet terminum per ſe & ratione ſui ſucceſſiuè acquiſibilem, nempè quantitatem cui proprium eſt habere partes: terminus verò nutritionis non habet ratione ſui partes, ſed tantum ratione quantitatis: atque adeò ratione illius tantùm, ſeu ob coniunctionem cum augmentatione, & non ex propriis meritis erit ſucceſſiua & continua.

§. 2.

Quomodo diſtinguantur nutritio & augmentatio.

ADuertte nutritionem & augmentationem dupliciter poſſe conſiderari, nempe vel in ratione actionis, vel in ratione mutationis. Hoc poſteriori modo nutritio nihil aliud eſt quàm mutatio materiæ alimenti de ſua forma, aut de priuatione formæ aliti ad eſſe huius formæ; ſiue ex tali materia educatur pars formæ viuentis quod nutritur, ſiue præexiſtens forma extendatur ad nouam illam materiam informandam, quod contingit in iis quorum animæ non ſunt formaliter extenſæ & diuiſibiles ſed tantum virtualiter: in ratione verò actionis nihil aliud eſt nutritio quàm alteratio vltimò diſpoſitiua materiæ alimenti ad formam aliti, eo enim modo proportionaliter philoſophandum eſt de aggeneratione ſeu partiali generatione, ac de generatione totali quam aliàs oſtendemus non eſſe actionem diſtinctam à præuia alteratione. Augmentatio verò in ratione mutationis eſt motus à minori ad maiorem quantitatem: in ratione autem actionis eſt idem motus prout emanans à principio ſeu facultate augmentatiua, cuius actio non terminatur ſolum ad præuiam diſpoſitionem per ſe primò ordine executionis, ſicut actio nutritiua, ſed ad partem ipſam quantitatis quæ acquiritur, quia habet conditiones requiſitas vt terminet per ſe motum & actionem. His poſitis.

Dico nutritionem & augmentionem tam vt actiones quàm vt mutationes realiter diſtingui.

Probatur primò: quia vtroque modo ſunt in diuerſis ſubiectis. Nutritio enim vt actio ſubiectatur in alimento corrumpendo, eo quod terminus pri-

marius illius ſcilicet vltima diſpoſitio præuia, in eo recipiatur; vt mutatio verò recipitur immediatè in materia prima, ob eaſdem rationes quibus alias oſtendimus generationem immediatè in ea ſubiectari. Augmentatio autem tam vt actio quàm vt motus recipitur in toto compoſito quod augetur, cum ei tribuat ſuum effectum formalem, nempe eſſe auctum ergo realiter diſtinguuntur: idem enim nequit eſſe in diuerſis realiter ſubiectis.

Probatur ſecundò: quia illæ actiones & mutationes realiter diſtinguuntur, quæ habent terminos primarios realiter diſtinctos: atqui nutritio & augmentatio ita ſe habent: illa enim in quantum actio primariò ordine executionis terminatur ad præuiam diſpoſitionem; & in quantum mutatio ad formam aliti vt ad terminum *quo*, & ad ipſum ſuppoſitum alitum reduplicatiuè vt tale ſicut ad terminum *qui*: augmentatio verò & inquantum actio & inquantum mutatio per ſe primò terminatur ad quantitatem vt ad terminum *quo*, & ad ſuppoſitum prout auctum vt ad terminum *qui*.

Obiicies: Quantitas partialis quæ in augmentatione acquiritur, reſultat ex partiali ſubſtantia quæ producitur per nutritionem: ergo augmentatio ſeu partialis quantitatis acquiſitio, non eſt actio diſtincta ab actione nutritiua. Probatur antecedens: ita enim ſe habet partialis quantitas ad partialem ſubſtantiam quæ per nutritionem acquiritur, ſicut totalis ad totalem quæ initio producitur: atqui initio quantitas totalis fit per reſultantiam ex vi eiuſdem actionis qua generatur ſubſtantia totalis: ergo ſimiliter.

Reſpondeo negando antecedens: ad probationem diſtinguo maiorem: Ita ſe habet, materialiter & in eſſe entis (quatenus ſicut quantitas totalis eſt veluti proprietas reſpectu ſubſtantiæ totalis, ita partialis reſpectu partis ſubſtantiæ, quæ eſt pars ratione quantitatis) concedo: in ratione termini producti, nego: ratio diſcriminis eſt, quia

in prima rei productione intenditur ſolùm per ſe primò ſubſtantia totalis, quantitas verò & alia accidentia aut proprietates tantum ſecundariò, & ideo non fiunt per propriam actionem, ſed reſultant ex vi actionis generatiuæ tanquam termini ipſius ſecundarij: at verò quando res nutritur & augetur non ſolum intenditur per ſe ſubſtantia partialis, ſed etiam quantitas partialis, cum per ſe intendat natura perducere viuens ad debitam molem corpoream & quantitatiuam: atque ita debent ſubſtantia partialis & quantitas fieri per proprias & diſtinctas actiones, quia non ſe habent vt terminus primarius & ſecundarius ſicut in prima rei productione, ſed ambæ ſunt termini primarij.

§. 3.

Quibus competant nutritio & augmentatio.

Dico primò nutritionem & augmentationem competere propriè ſolis viuentibus, ſubindéque eſſe actiones & motus vitales.

Probatur: Nutritio & augmentatio propriè dictæ fiunt per intus ſuſceptionem alimenti, eiuſque conuerſionem in ſubſtantiam vel quantitatem aliti, ab intrinſeca eius virtute procedentem: atqui ſola viuentia nutriuntur & creſcunt per intus ſuſceptionem alimenti, &c. inanimata verò ſolùm per iuxtapoſitionem: ergo ſolis viuentibus conueniunt nutritio & augmentatio propriè & in rigore, inanimatis verò ſolum impropriè. Minor patet: quia ad rationem veræ & propriæ nutritionis & augmentationis requiritur quod res nutriatur & augeatur ſecundum eam molem quæ præſupponitur: atqui ad hoc neceſſe eſt quod alimentum intra illam re-

cipiatur, ſi enim ſolum iuxta ponatur, moles illa aut partes præexiſtentes non creſcunt in ſe ipſis: quando enim ferro palmari v. g. coniungitur ferrum aliud eiuſdem magnitudinis, nullo modo augetur in ſeipſo ferrum præexiſtens, ſed ex vtroque fit tertium bipalmare. Minor verò oſtenditur: quia ſola viuentia habent virtutem intus attractiuam & conuerſiuam alimenti in propriam ſubſtantiam aut quantitatem, in hoc enim differunt à non viuentibus quòd habeant in ſe principia actiua actionum aut motuum quos in ſe ipſis recipiunt, cuiuſmodi ſunt actiones aut motus quibus partialis ſubſtantia aut quantitas acquiritur: inanimata autem habent quidem facultatem generandi alia ſibi ſimilia extra ſe, non verò intus attrahendi & conuertendi in propriam entitatem per ſe loquendo, & ſi ignis v. g. conuertat in ſe ſibique continuet combuſtibile quando ipſi iniicitur, hoc eſt tantum per accidens, & non per ſe, quia non habet virtutem intus attractiuam & conuerſiuam in propriam ſubſtantiam, ita vt hoc per ſe requirat, vnde inanimata nutriuntur & augentur tantùm impropriè & per iuxta poſitionem.

Dices: Vinum e. g. videtur augeri per intus ſuſceptionem, quando ipſi iniicitur alius liquor quem in ſe conuertit.

Reſpondeo hoc negando: nam per ſe habet tantum conuertere in ſuam ſpeciem vini partes illius liquoris ſibi perfuſas, quæ ſtatim vniuntur aliis per continuationem (primò quidem mathematicam ſolum, poſtea, factâ conuerſione, etiam phyſicam, cùm tunc eandem formam habeant;) non verò in ſuam propriam & indiuidualem entitatem, per virtutem aliquam quæ ad illam conuerſionem per ſe ordinetur. Vnde negatur huiuſmodi liquorem intus ſuſcipi in omnibus partibus vini, ſicut in nutritione propriè dicta fieri debet, ſed ſolùm partes eius iuxta partes vini permixtim ponuntur, & ſtatim modo dicto continuantur.

Dico ſecundò: Quando viuens nutritur & augetur, omnes partes ſimul nutriuntur.

Probatur: quia id in primis ad ſenſum patet: videmus enim omnes partes viuentis proportionaliter fieri maiores, quandiu nutritur & augetur, & ſi interdum id non fiat, ſed aliqua non creſcentê aliæ augeantur, hoc eſt per accidens ratione alicuius indiſpoſitionis, aut caloris naturalis qui in illa debilior eſt. Et ex hoc deſumitur ratio concluſionis: quia in omnibus partibus viuentis eſt calor naturalis quo tanquam inſtrumento fit nutritio & augmentatio: ergo omnes partes nutriuntur & augentur proportionaliter & per ſe loquendo. Probatur conſequentia: quia alias calor ille naturalis, qui humidum radicale continuò in ſingulis partibus depaſcit, omnino ipſum conſumeret, ſicut flamma oleum lampadis, niſi conuertendo alimentum ſeu humidum nutrimentiale in ipſum, eius damna continuò reſarciret.

Vt autem totum hoc nutritionis & augmentationis opus & artificium intelligatur, aduertendum eſt cum Medicis, quod antequam alimentum formam induat viuentis, plures in eo præcedunt alterationes & mutationes. In primis enim in ore fit eius maſticatio & quædam alteratio diſpoſitiua, ad quam concurrit ſaliua. Deinde in ventriculo fit eius concoctio, quouſque ex ipſa maſſa quædam liquida, quæ vocatur chylus formetur: & ibi ſecernitur quod impurum & groſſum eſt ab eo quod purius eſt; illudque tanquam excrementum ad inteſtina detruditur vt foras mittatur, illud verò, hoc eſt maſſa, illa, quæ albi coloris eſt, ſic depurata & defæcata, per venas quaſdam, quæ mezaraicæ appellantur, defertur ad iecur vbi tertiò tranſmutatur in ſanguinem per virtutem caloris naturalis qui ibi magis viget, magiſque decoquit maſſam illam, in qua relucent etiam alij tres humores, ſcilicet flaua bilis ſeu cholera, atra bilis ſiue melancholia, & pituita aut phlegma. Ex

iecore ſit multiplex & varia diſtributio tam ſanguinis quàm aliorum humorum in varias partes & receptacula. Nam in primis natura ſeparat choleram & melancholiam quæ ad nutrimentum aptæ non ſunt, amandans choleram ad folliculum fellis ipſi iecori vicinum, & melancholiam ad ſplenem: pituita verò ſimul cum ſanguine miſcetur per corpus & venas, quia facilè in ſanguinem mutatur. Quod ſi atra aut flaua bilis non ſeparentur modo prædicto, ſed cum ſanguine miſceantur in venis, inde conſurgit ægritudo & mala animi diſpoſitio.

Ipſe autem ſanguis, qui animali nutriendo deſeruit, bifariam ex iecore diffunditur per corpus: pars enim per venas variis ramuſculis propagatas totum peruadit corpus, eiuſque minutiſſimas partes per poros ſubintrat, ipsâ pituitâ vehiculi vicem ſubeunte: pars verò attrahitur ad cor, vbi maiori virtute & calore decoquitur & conuertitur in ſpiritus vitales, quorum alij ſurſum viam capeſcentes in cerebri ventriculis recipiuntur; fiuntque ibi ſpiritus animales quibus calor ad ſenſationes requiſitus defertur ad ipſos ſenſus, & in huiuſmodi ſpiritibus inſident imagines aut ſpecies ſenſibiles, qua de cauſa dormienti animali per ſolam communionem confluxum & concurſum huiuſmodi ſpirituum inter ſe, variæ offeruntur formæ quæ ſomnia efficiunt. Alij verò ad functiones purè vitales aut vegetatiuas exercendas deputati, per omnes corporis partes & poros diffunduntur, ibique beneficio caloris vitalis ipſis à corde impreſſi, ſanguinem conuertunt in carnem, neruos, oſſa, & ſimilia, ibique conſummatur nutritio & coniunctim augmentatio. Ex quibus.

Habes explicatum quomodo viuentis, quod nutritur & augetur, omnes partes nutriantur & augeantur.

Habes ſecundo verum eſſe illud Philoſophorum pronuntiatum, vitam nimirum rerum naturalium conſiſtere in calido & humido. Pro quo.

Nota humidum eſſe duplex: aliud radicale, aliud

nutrimentale. Humidum radicale, ſi omnino ſtri-ctè ſumatur, dicuntur partes molliores ſubſtantiæ primigeniæ, id eſt initio genitæ ſeu à parentibus acceptæ; ſi verò paulo latius, dicuntur omnes partes molles viuentis toto corpore diffuſæ, ſiue per generationem, ſiue per nutritionem ſint acquiſitæ. Humidum autem nutrimentale eſt humor ille ex quo debet ali viuens, qui vt vidimus duplex eſt: alius remotus, ſcilicet chylus: alius proximus, nempe ſanguis, tum nutrimentalis ſeu ſimilitudinarius, de quo aliàs diximus; tum naturalis, ex quo partes ſolidiores, modo etiam aliàs explicato, nutriuntur. Hoc poſito vita dicitur conſiſtere in calido & humido, quatenus calor eſt omnium vitalium functionum opifex & generale inſtrumentum, humor verò radicalis eſt eius pabulum quo fouetur & conſeruatur nutrimentalis autem eſt materia circa quam operatur conuertendo illam in ſubſtantiam viuentis.

§. 4.

An nutritio & augmentatio fiant toto tempore vitæ.

DVplicitcr ſumi poſſunt nutritio & augmentatio: Primò latè pro quacunque acquiſitione partiali ſubſtantiæ aut quantitatis, ſiue maioris, ſiue æqualis, ſiue minoris ea quæ vi & actione caloris naturalis continuò deperditur: qua ratione nutritio appellatur aggeneratio, id eſt partialis ſubſtantiæ qualiſcumque acquiſitio: & augmentatio dici debet motus ad quantitatem partialem, abſtrahendo à maiori, &c. Et hoc ſenſu certum eſt nutritionem & augmentationem fieri toto tempore vitæ, debent enim per illas continuò reſtaurari damna vi caloris naturalis viuenti illata. Secundò ſumuntur ſtrictè, pro acquiſitione partialis ſubſtantiæ

quantitatis maioris quàm illa quæ deperditur: & hoc modo appellatur propriè nutritio & augmentatio, & de illis procedit difficultas. Pro cuius reſolutione.

Dico nutritionem & augmentationem propriè dictas nòn durare toto tempore vitæ, ſed vſque ad certum ſtatum & ætatem.

Probatur primò ex diſcrimine inter nutritionem & augmentationem communiter dictas, & eaſdem propriè ſumptas: ideò enim priori modo debent toto tempore vitæ exerceri, quia debent partes vi caloris naturalis conſumptæ continuò quantum fieri poteſt per conuerſionem alimenti reparari, ita vt ſi hoc non fiat mors ſequatur; at verò poſteriori modo ordinantur ad acquiſitionem debitæ magnitudinis vt viuens poſſit perfectas operationes ſuæ ſpeciei, præſertim ſui ſimilis productionem attingere: ergo cùm in certa quadam ætate pertingat viuens ad debitam magnitudinem, in qua perfectas operationes exercere poſſit, debent tunc ceſſare nutritio & augmentatio prout ad maiorem ſubſtantiam aut quantitatem acquirendam ordinantur, habito enim fine ceſſant ea quæ ad illum comparandum ordinantur. Ratio autem fundamentalis concluſionis eſt hæc, qua.

Probatur ſecundò: quia calor naturalis & virtus conuerſiua alimenti in ſubſtantiam aut quantitatem viuentis continuò debilitatur, tum ex parte ſubiecti, quatenùs in viuente ſucceſſiuè plures & plures partes acquirente magis fit diſperſa, ſubindéque debilior, & ſi in adoleſcente fortius agat quàm in paruulo, hoc non eſt ex quòd in illo ſit intenſior, ſed quia eſt in ſubiecto ſolidiori, ſicut calor minus intenſus in ferro fortius agit quàm intenſior in flamma: tum ex parte ſui, ex eo quod continuò repatitur ab ipſo alimento, ſubindéque minuitur: ergo initio quidem ita fortis erit vt poſſit conuertere non ſolum quod ſufficit ad reſtaurationem deperditi, ſed etiam ad augmentum, & illud dicitur tem-

pus augmenti, quod vt cenſent communiter Philoſophi durat ab ortu vſque ad vigeſimum primum aut vigeſimum quintum annum; poſtea debilior facta huiuſmodi virtus non poterit conuertere niſi quantum ſufficit ad reſtaurationem deperditi, & non amplius, quod dicitur tempus conſiſtentiæ, durátque vſque ad quadrageſimum ſecundum aut quadrageſimum quintum annum; demùm non poterit plenè reſtaurare quod deperditur, & tunc incipit diminutio, & appellatur tempus decrementi durans vſque ad finem vitæ quando deficientē totaliter huiuſmodi virtute viuens moritur.

Si autem noſſe volueris quanta futura ſit hominis ſtatura, diſcere potes in primo quinquennio teſte Ariſtotele dicente tunc puerum obtinere dimidium magnitudinis quam in ætate perfecta habiturus eſt.

Quæres vtrum viuens maneat idem numero toto tempore vitæ & augmenti.

Reſpondeo affirmatiuè ſine dubio; quia etſi partes eius varientur materialiter, quatenùs vi caloris naturalis aliquas deperdit, & acquirit alias, formaliter tamen ſunt eædem, quatenus aduenientes ſuccedunt in locum aliarum, & trahuntur ad eandem numericam vnitatem viuentis: quod ſic intelligendum eſt. Quantitas adueniens per augmentationem fit ſola continuatione eadem numero cum præexiſtenti, atque adeò materia etiam aut ſubſtantia acquiſita per nutritionem fit numero eadem cum alia propter ſigillationem aut ordinem ad eandem huiuſmodi quantitatem.

SECTIO IV.

De generatione viuentium.

COnuenit generatio viuentium cum aliis in ratione mutationis materiæ de priuatione ad formam, differt verò in ratione productionis, ſiue actiuæ, ſiue paſſiuæ. Pro quo.

Dico : Generatio viuentium actiuè ſumpta rectè definitur. Actio qua viuens producit aliud in ſpecie ſimile ſibi coniunctum . paſſiuè verò accepta, Origo ſeu paſſiua emanatio viuentis à viuente coniuncto in ſimilitudinem eiuſdem naturæ ſpecificæ: & hæc eſt trita generationis viuentium definitio ex cuius explicatione intelligetur præcedens.

Dicitur Origo ſeu paſſiua productio, in quo conuenit generatio viuentium cum aliis. Additur, viuentis, id eſt ſuppoſiti animati : per quod differt tum à generatione non viuentium ; tum à nutritione, à productione capillorum, vnguium & huiuſmodi quæ non ſunt emanationes ſuppoſitorum viuentium, ſed ad viuens præexiſtens ordinatur. Subditur. A viuente coniuncto, quibus verbis exprimitur propria & formalis ratio generationis vitalis, quæ vt talis debet eſſe à principio coniuncto rei genitæ, coniuncto inquam vel per propriam ſubſtantiam, ſicut in animalibus perfectis mater coniungitur fœtui aut è conuerſo ; vel ſaltem per ſubſtantiam ab ipſo generante deciſam, id eſt per ſemen cui potentia generatiua virtutem inſtrumentalem gignendi impreſſit. Additur denique, in ſimilitudinem naturæ ſpecificæ, defectu cuius conditionis vermes ex humore hominis intra ipſum producti non dicuntur ab eo generari propriè, quia non ſunt in ſimilitudinem na-

turæ ſpecificæ. Productio etiam animalium, quæ fit per virtutem cauſæ æquiuocæ, non dicitur generatio eo modo quo hîc ſumitur, defectu huius & præcedentis conditionis, quia nec coniunguntur illis, nec ſunt in ſimilitudinem naturæ ſpecificæ.

Dices: Productio & origo Verbi diuini à Patre æterno eſt vera generatio, & tamen non eſt in ſimilitudinem eiuſdem naturæ ſpecificæ ſed numericæ & indiuiduæ.

Reſpondeo nos hîc definire generationem quæ conuenit creatis, in quibus nequit genitum habere eandêm naturam indiuiduam cum generante, & ideo requiritur quod habeat eandem ſaltem ſpecie. Vnde ex hoc capite definitio illa perfectiſſimo modo conuenit generationi Verbi diuini, quæ eſt in ſimilitudinem naturæ ſpecificæ & ſimul indiuiduæ, quod non excludit definitio.

Ex dictis habes quod quamuis generatio viuentium ſit actio vitalis, ſicut nutritio, & augmentatio, cùm ſit à principio coniuncto ſenſu explicato; non tamen ita perfectè vitalis eſt, quia eſt à principio ſuppoſitaliter diſtincto, nutritio verò & augmentatio procedunt ab eodem ſuppoſito, in quo recipiuntur, ſaltem quoad terminos productos: nec iſtæ tamen ſunt ita perfectè vitales ſicut ſenſationes & intellectiones, quæ omninò recipiuntur in eodem principio (quo) eas eliciente.

DISPVTATIO V.

De anima ſenſitiua eiuſque potentiis in communi.

ANIMA ſenſitiua eo proportionali modo definiri debet in communi, tum in ratione eſſentiæ ſeu formæ, tum in ratione naturæ aut principij radicaliter operatiui, quo anima vegetatiua à nobis ſuprà definita eſt, nempe quod ſit actus primus corporis phyſici organici cui vitam ſenſitiuam confert; vel, primum ſeu radicale principium ſentiendi: quæ definitiones ſufficienter explicatæ manent ex dictis de quidditate animæ in communi, & vegetatiuæ. Quidquid verò ad perfectam animæ ſenſitiuæ notitiam deſiderabitur, accipiendum erit ex dicendis de eius potentiis, quæ ſunt proxima principia ſentiendi. Vnde ſit.

SECTIO I.

An potentiæ ſenſitiuæ, & vniuerſaliter omnes facultates cognoſcitiuæ indigeant ſpeciebus impreſſis ad cognoſcenda obiecta.

NOmine potentiæ cognoſcitiuæ vt ſic intelligitur quælibet facultas ſeu proximum principium quo obiectum aliquod cognoſcimus : & in particulari nomine potentiæ ſenſitiuæ intelligitur) ea quæ per ſe primò ordinatur ad percipiendas res ſenſibiles ſibi obiectas, putà colorem, ſonum, &c. Et de his omnibus inquiritur an indigeant ſpeciebus ſeu imaginibus obiectorum ad ea percipienda. Pro reſolutione.

Dico omnem potentiam cognoſcitiuam, ſiue intellectiuam, ſiue ſenſitiuam, indigere ſpecie ſeu ſimilitudine impreſſa obiecti ad eliciendam eius cognitionem. Eſt contra Durandum.

Probatur : quia omnis potentia cognoſcitiua ſecundum ſe eſt intrinſecè indifferens & indeterminata etiam in actu primo ad cognoſcendum hoc vel illud obiectum : ergo debet recipere aliquid intrinſecum quo determinetur ad hoc ſubiectum potius quam ad illud, aliàs maneret ſemper intrinſecè indifferens & indeterminata : ſed illud nihil aliud eſſe poteſt quàm ſpecies ſeu ſimilitudo repræſentans hoc obiectum & non aliud : ergo debet recipere ſpeciem obiecti. Minor ſubſumpta probatur : quia nihil aliud poteſt determinare intrinſecè in actu primo potentiam ad hoc vt cog-

noſcat tale obiectum potius quàm aliud, niſi repræſentatio illius potius quàm alterius, hic enim non eſt quæſtio de influxu applicante ad actum ſecundum, ſed de perfectione complente actum primum.

Reſpondebis potentiam ſufficienter determinare ad hoc obiectum potius quàm ad aliud per ſolam extrinſecam præſentiam talis obiecti, potius quàm alterius.

Sed contra: quia per potentias internas cognoſcitiuas, nempe per intellectum & ſenſus interiores, cognoſcimus obiecta etiam abſentia: ergo illæ debent etiam intrinſecè determinari per aliquid receptum: & cùm aliæ, id eſt externæ, non ſint minus indeterminatæ ex ſe & incompletæ, imo magis, vtpote imperfectiores & materialiores, debent à fortiori per receptionem ſpeciei determinari. Quod etiam experientiâ comprobatur, videmus enim ſpeciem noſtri recipi in oculo alterius dum ipſi obiicimur & ab eo reſpicimur. Et certe ſi obiecta ſpecies ſui & ſimilitudines immittunt in ſpeculum, quidni in facultates cognoſcitiuas quæ ſpecula ſunt ſpiritualiora.

Probatur ſecundò: quia obiectum concurrit actiuè ad ſui cognitionem vnà cum potentia: ergo debet eſſe vnitum potentiæ tanquam comprincipium actus illius: ſed non per ſuam ſubſtantiam & entitatem naturalem: ergo per ſpeciem. Probatur maior: quia cognitio fit per aſſimilationem ipſius potentiæ cum obiecto, id eſt per productionem ſimilitudinis ipſius obiecti, ſiue illa ſimilitudo ſit terminus ipſius cognitionis, qui dicitur verbum aut ſpecies expreſſa, vt de intellectu & ſenſibus internis docebimus; ſiue non ſit aliud ab ipſa cognitione, vt dicemus de ſenſibus externis: vnumquodque autem aſſimilatur ſuo principio actiuo: ergo obiectum ſe habet vt principium actiuum reſpectu cognitionis. Quod etiam docet Diuus Auguſtinus dicens ex obiecto & potentia gigni noti-

tiam, ſicut ſœtum ex viro & fœmina.

Confirmatur: quia non poteſt facultas cognoſcitiua producere ſimilitudinem obiecti niſi ipſum in ſe præhabeat; non præhabet ex ſe: ergo ex impreſſione ipſius obiecti:

Obiicies: Si darentur huiuſmodi ſpecies impreſſæ, duo accidentia ſolo numero diſtincta poſſent eſſe in eodem ſubiecto: conſequens non admittitur à nobis: ergo. Sequela probatur: ſpecies repræſentates duo obiecta ſolo numero diſtincta, putà duo oua, non poſſunt diſtingui niſi ſolo numero: atqui eſſent ſimul in oculo, dum ſcilicet huiuſmodi obiecta ſimul reſpiceremus: ergo.

Reſpondeo negando ſequelam maioris: ad probationem reſpondeo huiuſmodi ſpecies diſtingui à ſe inuicem pluſquam numero, nempe ſpecie, quia vnaquæque ita ordinatur per ſe primò ad repræſentandum ſuum obiectum, vt nequeat repræſentare alterum: quando autem aliqua ratio per ſe primò & eſſentialiter conuenit alicui & non alteri, differunt illa eſſentialiter inter ſe. Et ſi dicas huiuſmodi ſpecies ſumere ſuam diuerſitatem ab obiectis, quæ ſolo numero differunt: Reſpondeo ſumere ab illis non in eſſe entis conſideratis, ſub qua ratione numero ſolo differunt; ſed in eſſe obiecti, quo modo formaliter & ſpecie differunt quatenus per ſe primò reſpiciuntur vt diuerſa.

Ex dictis inferes potentias cognoſcitiuas, tum ſenſitiuas, tum intellectiuas, eſſe facultates non pure actiuas, ſed etiam paſſiuas: ſunt enim paſſiuæ, quatenus recipiunt ſpecies impreſſas ab obiectis, ſiue immediatè, vt ſenſus externi, ſiue mediate, vt interni & intellectus: actiuæ vero; quatenus huiuſmodi ſpeciebus fœcundatæ effectiuè eliciunt ſuas ſenſationes aut intellectiones. Vnde refutatur nonnullorum veterum opinio, qui voluere facultates huiuſmodi eſſe omnino paſſiuas, reſpectu etiam cognitionis aut ſenſationis, quas putabant in ipſis mere paſſiuè ſe habentibus recipi, & à ſola ſpecie elici:

quod aperte conſtat eſſe falſum, cùm actus cognoſcendi & ſentiendi ſint veræ operationes vitales, ſiquidem ratione illarum animal cognoſcens & ſentiens vere & propriè dicitur viuere vitâ cognoſcitiuâ, ſicut planta viuit vitâ vegetatiuâ beneficio nutritionis & augmentationis: de ratione autem operationum vitalium eſt quod procedant à principiis internis actiuis coniunctis & innatis principio radicali vitæ, qualia non ſunt ſpecies impreſſæ quæ ab extrinſeco adueniunt: non negamus tamen ſpecies ſe habere actiue ſimul cum potentia reſpectu cognitionis, vt infra dicemus.

SECTIO II.

An ſpecies impreſſa ſit formalis ſimilitudo obiecti.

ADuerte omnem ſpeciem ſenſibilem & intelligibilem pertinere ad duos ordines rerum: nam de formali pertinet ad ordinem intentionalem ſeu repræſentatiuum: de materiali vero & ſubſtrato ad ordinem entitatiuum & naturalem: ſpecies enim pro formali habet quod ſit imago ſeu ſimilitudo obiecti, & propterea appellatur intentionalis quia deſeruit intentioni ſeu attentioni potentiæ cognoſcitiuæ ad huiuſmodi obiectum: pro materiali verò & fundamento importat entitatem aliquam ſeu naturam ipſi eſſe intentionali ſeu repræſentatiuo ſubſtratam Hoc poſito

Dico primo ſpeciem impreſſam in eſſe repræſentatiuo eſſe formalem ſimilitudinem obiecti primariò repræſentati per illam. Eſt contra Suarem & alios qui

qui volunt ſpeciem impreſſam non repræſentare formaliter, ſed ſolum virtualiter ſuum obiectum, etiam primarium: nam de ſecundario, quod tantum ratione primarij repræſentatur quatenus virtualiter in ipſo continetur, id nos concedimus.

Probatur autem concluſio, primò hac ratione: id quod formaliter repræſentat aliud eſt formalis ſimilitudo ſeu imago illius: atqui ſpecies impreſſa formaliter repræſentat ſuum obiectum primarium & non ſolum virtualiter: ergo eſt formalis, &c. Minor, quam aduerſarij negant, probatur: quod per ſe primò & ex ſua ratione formali repræſentat aliquid, formaliter illud repræſentat, nihil enim formalius in re quàm ratio ipſa primaria & formalis eius: atqui ſpecies impreſſa per ſe primò & ex ſua ratione formali habet repræſentare ſuum obiectum primarium, ad hoc enim per ſe primò ordinatur, & per id diſtinguitur à formis naturalibus quæ per ſe primò ordinantur ad eſſendum, ſpecies verò ſeu forma intentionalis ad repræſentandum: ergo, &c.

Probatur ſecundò: potentia cognoſcitiua, ſaltem intellectiua & ſenſitiua interna, ſpecie impreſſa fœcundata producit ſpeciem expreſſam, quæ eſt formaliſſima & actualiſſima ſimilitudo obiecti repræſentans & exprimens illud in actu ſecundo: ergo ſpecies impreſſa debet eſſe formalis ſimilitudo veluti habitualis, & in actu primo repræſentans huiuſmodi obiectum. Antecedens conceditur ab aduerſariis, & ſuò loco oſtenditur. Conſequentia verò probatur: in tantum ſpecies expreſſa aſſimilatur obiecto inquantum aſſimilatur ſpeciei impreſſæ: ergo ſi illa aſſimilatur formaliter, etiam hæc. Probatur antecedens ex dictis ſectione præcedenti: in tantum ſpecies expreſſa aſſimilatur obiecto, in quantum procedit ab eo tanquam à ſuo principio ac veluti generante: ſed non procedit ab obiecto vt à principio niſi quatenus procedit à ſpecie impreſſa gerente vices obiecti, & loco illius potentiam cognoſcitiuam fœcundante: ergo in tantum ſpecies ex-

preſſa aſſimilatur obiecto, in quantum aſſimilatur impreſſæ.

Dices: ſpecies impreſſa ſe habet vt ſemen deciſum ab obiecto vti à generante, ſpecies vero expreſſa ſe habet inſtar prolis: ergo ſicut in naturalibus ſemen virtualiter tantum repræſentat generans quatenus virtute eius efficit prolem ei formaliter ſimilem; ita ſpecies virtualiter tantum repræſentabit obiectum, quatenùs virtute illius producet verbum illi ſimillimum: & ſicut fœtus non aſſimilatur ſemini, ſed generanti, ita ſpecies expreſſa non aſſimilabitur impreſſæ ſed ipſi obiecto duntaxat.

Reſpondeo negando conſequentiam, & vtramque paritatem: licet enim ſpecies impreſſa habeat aliquam proportionem cum ſemine in naturalibus, verè tamen ſe habet potius vt principale generans ſeu vnà cum potentia producens verbum tanquam prolem.

Dico ſecundò ſpeciem impreſſam ita eſſe formalem ſimilitudinem obiecti, vt ſit ipſummet obiectum in eſſe repræſentatiuo.

Probatur: vnumquodque dicitur eſſe, & reuera eſt idem cum alio, in eo in quo formaliter ipſi aſſimilatur, ſicut Petrus eſt idem cum Paulo in natura ſpecificà: atqui ſpecies impreſſa aſſimilatur formaliter obiecto primario in eſſe repræſentatiuo: ergo in eſſe repræſentatiuo ſpecies eſt idem cum obiecto, ita vt ſi obiectum illud formale & primarium quod repræſentatur fuerit ſubſtantia, homo equus, aut huiuſmodi, ſpecies ſecundum rationem ſpeciei, ſeu in eſſe repræſentatiuo, dicatur ſubſtantia, homo, &c. ſi vero fuerit accidens, ſpecies etiam in eſſe intentionali & repræſentatiuo dicatur accidens, quamuis in eſſe entitatiuo ſpecies & obiectum in nobis omnino realiter diſtinguantur, nam omnes noſtræ ſpecies intentionales ſaltem pro hoc ſtatu accidentia ſunt, cùm tamen obiecta poſſint eſſe ſubſtantiæ ac extra potentiam cognoſcitiuam poſita. Dixi, pro hoc ſtatu, quia anima ſeparata cognoſ-

cit ſeipſam per propriam ſubſtantiam ſicut Angeli, & in patria videt clarè Deum per ipſammet Dei eſſentiam gerentem vices ſpeciei impreſſæ & expreſſæ. Ex quibus.

Habes ſpeciem in eſſe ſpeciei eſſe magis idem cum obiecto, quàm filium cum patre cuius eſt imago naturalis: quia videlicet filius in eſſe naturali ſeu entitatiuo differt numero à patre: ſpecies verò in eſſe ſpeciei ſeu in ordine repræſentatiuo eſt idem numero cum obiecto, ſiquidem in illo ordine nihil habet per quod differat ab eo.

Obiicies primò: idem non dicit relationem realem ad ſe ipſum: ſed ſpecies intentionalis in eſſe repræſentatiuo dicit relationem realem ſimilitudinis ad obiectum: ergo non eſt idem cùm illo.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: Idem ſimpliciter, concedo: Idem ſecundum quid tantum, nego: natura autem ſeu res repræſentata, cùm in ſpecie habeat modum eſſendi ſolùm intentionalem & repræſentatiuum, in ipſo verò obiecto naturalem ſeu entitatiuum, dicitur eſſe eadem in illis ſecundum quid tantum, quippe in eſſe ſolum repræſentatiuo, diuerſa verò ſimpliciter, vt pote in modo eſſendi.

Obiicies ſecundò: Si ſpecies repræſentatiuæ albedinis & nigredinis eſſent ipſa albedo & nigredo formaliter in eſſe repræſentatiuo, eſſent incompoſſibiles in vno & eodem in oculo, ſicut illi colores in eodem ſubiecto: conſequens eſt falſum: ergo, &c.

Reſpondeo negando ſequelam: quia huiuſmodi colores ſunt quidem incompoſſibiles in eſſe naturali, quia entitas albedinis, opponitur entitati nigredinis: non verò in eſſe intentionali & repræſentatiuo, quia tantum abeſt quòd ſpecies & cognitio vnius contrarij tollat ſpeciem & cognitionem alterius, quin potius iuuat ipſam, vnum enim contrarium meliùs cognoſcitur per oppoſitionem alterius, vnde communiter dicitur, quod contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcunt.

Obiicies tertiò : Eſſentia diuina eſt ſpecies repræſentatiua nedum ſui ipſius , ſed etiam omnium creaturarum : atqui illa non eſt idem etiam in eſſe repræſentatiuo formaliter cum creaturis : ergo ſpecies non eſt idem formaliter in eſſe repræſentatiuo cum obiecto repræſentato.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem, & dicendo eſſentiam diuinam repræſentare creaturas ſecundariò tantum & eminenter per modum cauſæ ipſarum, non verò primario : noſtra autem concluſio procecedit de ſpecie reſpectu ſui obiecti primarij.

Dico tertiò potentiam cognoſcitiuam vniri per identitatem cum ſpecie conſiderata in eſſe repræſentatiuo , ſubindéque & cum obiecto repræſentato. Hæc ſecunda pars manifeſtè ſequitur ex prima , ſi enim ſpecies formaliter ſumpta in eſſe repræſentatiuo ſit ipſummet obiectum , euidens eſt quod ſi potentia cognoſcitiua fiat identicè ſpecies ipſa in eſſe repræſentatiuo , fiet conſequenter identicè ipſum obiectum pariter in eſſe repræſentatiuo. Quantum verò ad primam partem, quæ non aſſerit potentiam cognoſcitiuam identificari in eſſe naturali ſeu entitatiuo cum ſpecie , cùm ſpecies ſecundum ſuam entitatem ſpectata ei inſit vel per informationem aut inhærentiam , vt in nobis , vel è conuerſo per ſubſtentationem (vt ſpecies per quam Angeli & animæ ſeparatæ ſuam propriam ſubſtantiam cognoſcunt, quæ ſpecies eſt ipſamet eorum ſubſtantia ;) ſed ſolùm in eſſe repræſentatiuo.

Probatur : quia potentia cognoſcitiua verè vnitur ſpeciei in eſſe repræſentatiuo , cùm per illam cognoſcat obiectum repræſentatum : ſed non vnitur ei vt tali, per informationem aut inhærentiam , ita vt ſpecies ſecundum eſſe repræſentatiuum præcisè conſiderata eam informet aut ipſi inhæreat : ergo per identitatnm. Conſequentia eſt euidens : forma enim non poteſt alicui vniri niſi aliquo ex his modis. Minor verò probatur : quia informare aut inhærere eſt proprium formæ naturalis vel accidentalis : atqui ſpecies in eſſe repræſentatiuo abſtrahit à

ratione formæ naturalis aut accidentalis, vt patet in ſpecie repræſentante Angelum Gabrielem e.g. quæ in eſſe repræſentatiuo eſt eiuſdem planè rationis in intellectu Michaëlis in quo eſt accidens, & intellectu proprio ipſius Gabrielis in quo eſt ipſamet eius ſubſtantia (ſuppono enim ex Theologia vnumquemque Angelum per propriam ſubſtantiam tanquam per ſpeciem ſe ipſum cognoſcere, vt ſuperius innuimus, alios verò per ſpecies inditas :) ergo ſpecies in eſſe repræſentatiuo præcisè ſpectata non ineſt potentiæ per informationem aut inhærentiam, ſed per identitatem : quamuis in eſſe entis & materialiter poſſit ei ineſſe priori modo, ſi aliunde non repugnat eſſentiæ diuinæ quæ intellectui beato vnitur tantum per identitatem in eſſe repræſentatiuo, nullo verò modo in eſſe naturali, ſiue per informationem, ſiue per inhærentiam, quia non poteſt habere rationem formæ naturalis quæ dicit imperfectionem, nempe incompletionem & rationem partis, quæ imperfectio importatur in ratione ſpeciei. Ex dictis.

Habes primò veritatem illius eſſati. Auerrois, ex obiecto & potentia fieri magis vnum quàm ex materia & formâ quia ſcilicet materia non tranſit in formam, ſed ex vtraque ſeruante ſuam propriam entitatem diſtinctam fit vnum tertium : at verò potentia cognoſcitiua tranſit in ipſum obiectum, & fit illud per identitatem in eſſe repræſentatiuo mediâ ſpecie intentionali. Vnde.

Habes ſecundò, quomodo intellectus intelligendo fiat omnia : quia videlicet per ſpecies ſe ſe transformat in obiecta veluti alter Protheus : & in hoc differt natura cognoſcens, præſertim verò intellectualis, ab aliis, quod hæ ſint limitatæ & coarctatæ ad proprias formas & naturas, illa verò eſt illimitata & poteſt fieri alia, quatenus mediis ſpeciebus intentionalibus induit & identificat ſibi in eſſe repræſentatiuo naturas quas cognoſcit.

Habes tertiò intellectum Beati poſſe in eſſe intelligibili & repræſentatiuo dici Deum, ens per eſ-

ſentiam, infinitum, &c. quia in eſſe intelligibili vnitur per identitatem cum eſſentia diuina quæ agit vicem ſpeciei intelligibilis reſpectu viſionis beatæ, vt docetur in Theologia.

Obiicies: Ea non identificantur, ſed realiter diſtinguuntur, quorum vnum poteſt eſſe ſine alio: atqui potentia cognoſcitiua poteſt eſſe ſine ſpecie cum qua de facto vnitur: ergo non vnitur ei per identitatem.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: Diſtinguuntur ſeu non identificantur, ſimpliciter & in eſſe entis, concedo: ſecundum quid & in eſſe repræſentatiuo ſeu intentionali, nego. Et eodem modo diſtinguenda eſt conſequentia.

SECTIO III.

Vtrum ſpecies impreſſa concurrat actiue ad cognitionem.

RESolutio huius difficultatis facilè habetur ex præcedentibus. Vnde.

Dico breuiter omnem ſpeciem impreſſam actiue concurrere ad cognitionem.

Probatur primò: Id quo completur in actu primò & determinatur potentia actiua ad operationem, concurrit actiue cum illa, principium enim actiuum qua tale non conſtituitur aut completur niſi per virtutem actiuam: atqui potentia cognoſcitiua, quæ ſecundum ſe eſt incompleta in actu primo & indifferens ad hoc vel illud obiectum, completur & determinatur per ſpeciem repræſentantem hoc potius quàm illud: ergo ſpecies concurrit actiue.

Probatur ſecundò: illud eſt principium actiuum

alicuius operationis cui terminus ſeu effectus aſſimilatur; effectus enim per ſe primò aſſimilatur principio à quo producitur: atqui terminus cognitionis, qui eſt ſpecies expreſſa in potentiis cognoſcitiuis internis quæ formant verbum, aſſimilatur ſpeciei impreſſæ; cùm in actu ſecundo repræſentet id quod ſpecies impreſſa in actu primò ſeu habitualiter: ergo ſpecies impreſſa eſt principium *quo* actiuum cognitionis, coniunctum verò ex potentia & ſpecie principium *quod*. Dices: Species expreſſa dicitur aſſimilari obiecto, non ſpeciei impreſſæ. Contra: quia non aliter aſſimilatur obiecto, niſi quatenus aſſimilatur ſpeciei impreſſæ, ſicut illud non aliter ad eam actiue concurrit quàm beneficio ſpeciei illius.

Obiicies: Quod concurrit actiuè ad actionem vitalem, qualis eſt cognitio, debet eſſe vitale: ſpecies impreſſa non eſt vitalis, cùm non oriatur à principio radicali vitæ, ſed veniat ab extrinſeco, nempe ab obiecto: ergo non concurrit actiue ad cognitionem.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: Debet eſſe vitale, vel per modum principij proximi ſeu potentiæ vitalis ortæ à principio radicali vitæ, vel per modum proprij complementi ipſius in quantum vitalis, concedo: per modum potentiæ tantum, nego: ſpecies autem complet & determinat potentiam cognoſcitiuam vel cognoſcitiuam, atque adeo vt vitalem, proindéque eſt vitalis per modum complementi & vt quo, quod ſufficit.

DISPVTATIO VI.

De ſenſibus externis.

SECTIO I.

De obiecto ſenſuum externorum.

OBiectum ſenſus externi definitur & eſt ſenſibile ſingulare, localiter præſens in debita diſtantia. Dicitur, ſenſibile ſingulare, quia ſolus intellectus poteſt percipere ſenſibilia vniuerſalia, putà colorem vt ſic; non verò ſenſus, qui cùm ſit facultas materialis, non eſt capax niſi ſpecierum repræſentantium ſingularia, vnde eſt illud Boëtij quod. *Intellectus eſt vniuerſalium, ſenſus ſingularium.* Additur, localiter præſens, in quo differt ſenſibile externum ab interno quod poteſt eſſe abſens, nām phantaſia v. g. obiecta ſenſibilia percipit etiam abſentia: per hoc etiam denotatur obiectum ſenſus debere eſſe localiter extenſum, cùm habeat immutare potentiam organicam quæ eſt extenſa; & defectu huius conditionis corpus Chriſti in Euchariſtia non poteſt ſenſu percipi. Additur denique, in debita diſtantia, quia cùm ſenſibile comparetur ad ſenſum ſicut agens ad paſſum cui ſpeciem imprimit, debet ei eſſe ſufficienter approximatum.

Diuiditur autem ſenſibile externum in ſenſibile

per ſe quod ſcilicet ratione ſui percipitur, vt color, ſonus, figura, &c. Et ſenſibile per accidens quod non ſentitur niſi ratione alterius, id eſt ratione ſenſibilis per ſe, cui coniungitur, vt ſubſtantia quæ non cadit ſub ſenſum viſus v. g. niſi vt coniuncta colori qui per ſe videtur, ipſa verò ſubſtantia ſolùm per accidens, vnde nullo modo immutat ſenſum ratione ſui nec vllam ei imprimit ſpeciem ſui repræſentatiuam, eadem enim eſt viſio ante conſecrationem hoſtiæ quando adeſt ſubſtantia panis, & poſt quando abeſt. Vnde relicto ſenſibili per accidens.

Senſibile per ſe ſubdiuitur in ſenſibile proprium & ſenſibile commune. Senſibile proprium eſt illud quod per ſe primò & ab vno duntaxat ſenſu externo percipitur, vt color à viſu, ſonus ab auditu: & illud eſt quintuplex: nempe viſibile, ſub quo continetur color & lux; audibile; odorabile; guſtabile; & tangibile, quod comprehendit omnes tangibiles qualitates. Senſibile verò, commune eſt illud quod per ſe ſecundò & à pluribus ſenſibus externis percipi poteſt, vt quantitas, figura, &c. Et iſtud eſt quintuplex etiam: nempe motus, quies, numerus, figura & magnitudo; quia vnumquodque horum percipitur à pluribus ſenſibus, vt figura à ſenſibus tactus & viſus, ſimiliter motus, numerus, & alia, vt conſideranti patebit; percipiuntur inquam à ſenſibus externis, non quidem per ſe primò cùm non ſpecificent ipſos, ſed tantum per ſe ſecundò quatenus obiectum proprium & per ſe primò ſpecificatiuum non poteſt percipi ſine illis: ſiqua verò ſint alia ſenſibilia communia, vt tempus, vnitas, ſitus, diſtantia, reducuntur ad iſta tempus quidem ad motum, tanquam eius affectio habens eundem modum eſſendi ſucceſſiuum: vnitas ad numerum; diſtantia ad magnitudinem; & ſitus ad figuram. Circa hæc.

Quæres primò vtrum ſenſibile commune immutet ſenſum imprimendo illi propriam ſpeciem, an ſolum modificando ſpeciem ſenſibilis proprij. Ad hoc reſpondendo.

Dico ſenſibile commune non imprimere ſenſui propriam ſpeciem condiſtinctam à ſpecie ſenſibilis proprij : ſed tantum modificare eam.

Prima pars probatur : Nihil poteſt immutare ſenſum per propriam ſpeciem, niſi obiectum eius ſpecificatiuum : atqui ſenſibile commune non eſt obiectum ſpecificatiuum ſenſus, cùm à pluribus reſpiciatur : ergo. Probatur maior : Quod imprimit propriam ſpeciem ſenſui, reſpicitur per ſe primò ab illo, ſicut per ſe primò repræſentatur per huiuſmodi ſpeciem : ſed quod per ſe primò reſpicitur, eſt ſpecificatiuum, cùm ab eo differentia eſſentialis deſumatur : ergo, &c.

Secunda verò pars ex priori deducitur : cùm enim ſenſibile proprium nequeat percipi niſi vt affectum ſeu modificatum per ſenſibile commune, putà color per quantitatem aut magnitudinem in qua eſt, debet ſpecies ſenſibilis proprij ita eſſe modificata, vt per ſe primò repræſentet illud, & per ſe ſecundò ſenſibile commune tanquam conditionem & modum ſine quo ſenſibile proprium nequeat attingi: cùm ergo quidquid in ſpecie relucet, imprimatur ab obiecto, ſenſibile proprium producet eam ſecundum ſuam rationem primariam, ſenſibile verò commune ſolum quoad modum aliquem ratione cuius ipſum repræſentet.

Obiicies : Senſibile commune poteſt percipi abſque proprio, ſicut videtur magnitudo & motus animalis procul diſtantis, non verò color ; & ſi aliquis eſſet propè cœlum, tangeret eius quantitatem ſeu magnitudinem, non verò quatuor primas qualitates quæ ibi non ſunt, quæ tamen ſunt proprium tangibile : ergo ſenſibile commune poteſt ſpeciem propriam ſenſui imprimere.

Reſpondeo negando antecedens : in priori enim caſu videtur color imperfectè & confusè ratione nimiæ diſtantiæ quæ impedit quo minus ſenſus ab obiecto ſenſibili perfectè immutetur : in poſteriori verò verò preciperentur non quidem quatuor primæ

qualitates, ſed aliæ, nempe ſoliditas, denſitas, terſi_tas, quæ pertinent etiam ad tangibile proprium.

Quæres ſecundò, an ſenſibile poſitum ſupra ſenſum externum faciat ſenſationem: ad quod reſpondendo negatiuè.

Dico ſenſum externum non poſſe percipere obiectum ſenſibile ſibi immediatè coniunctum, ſed vt circa illud ſenſationem eliciat, neceſſarium eſſe aliquod medium; vel externum, quale eſt aër aut aqua vel quid ſimile quod mediat inter viſum, auditum, olfactum, & obiecta ipſorum; vel internum, quale eſt cutis aut caro quæ mediat inter tactum & guſtum (qui ſubiectantur in neruo ſub cute aut carne poſito) & propria ipſorum ſenſibilia.

Ratio autem huius concluſionis eſt, quia ſenſus non poteſt percipere ſenſibile, niſi per ſpeciem proportionatam ab ipſo receptam: à ſenſibili autem immediatè coniuncto vel non recipit vllam ſpeciem, vel illa eſt nimis materialis & improportionata, ſicut & ipſum obiectum in ſe eſt nimis craſſum & materiale: ergo debet intercedere aliquod medium in quo ſpecies ſuam craſſitiem, quam habet cum primum ab obiecto effluit, deponat. Vnde habes quod ſi interdum ſenſus videatur percipere ſenſibile coniunctum, verè non percipit illud ſecundum partes proximas quibus ipſi coniungitur, ſed ſecundum remótiores.

Quæres tertiò, quomodo ſenſus lædantur à vehementi ſenſibili; putà oculus à nimia luce quâ interdum offuſcatur, imò & nonnumquàm obcæcatur ſi obſtinatè Solem reſpiciat; & auditus à vehementiorum ſonitu, vt dicitur de his qui propè Nili oſtia habitant, qui præ nimio fragore & ingenti ſonitu quo flumen illud ex altiſſimis montibus decidit, obſurdeſcunt; quæres inquam quomodo huiuſmodi vehemens ſenſibile lædat ſenſum: an ſcilicet per ſe & in quantum ſenſibile eſt, ſeu agens intentionale, producendo in huiuſmodi ſenſu aliquam ſpeciem improportionatam, excellentiorem & vehementiorem quàm connaturaliter recipere poſtu-

let; an verò per accidens & in quantum agens naturale, producendo in organo qualitatem aliquam naturalem noxiam: quæ deſtruat debitum illius temperamentum, ſubindéque ipſum organum per ſe corrumpat, & per accidens ſeu ad deſtructionem ſubiecti corrumpat facultatem ſenſitiuam ipſi inhærentem. Ad quod reſpondendo.

Dico excellens ſenſibile non lædere ſenſum per ſe & in quantum agens intentionale ratione excellentioris ſpeciei, ſed per accidens in quantum agens naturale, modo explicato. Ratio eſt, quia ſpecies excellens non eſt contraria facultati ſenſitiuæ: ergo non deſtruit illam per ſe loquendo, quamuis non negem poſſe ipſi nocere per accidens, quatenus ad eliciendam beneficio illius excellentem ſenſationem confluunt & concurrunt ſpiritus vitales in maiori copia, quibus ſummoperè incaleſcit organum & interdum læditur: cum ergo potentia ſenſitiua non poſſit per ſe & directe lædi à ſpecie excellentiori, ſed tantum indirectè ad læſionem ipſius organi, quæ fit per aliquam qualitatem naturalem ipſi diſproportionalem; excellens ſenſibile non lædit ſenſum per ſe & inquantum agens intentionale, ſed in quantum agens naturale, dum ipſi imprimit ſimul cum ſpecie qualitatem aliquam noxiam, putà nimium calorem: qui producitur in oculo per radios ſolares cùm directè reſpiciuntur, exſiccatque humorem oculi & ſpiritus viſuales diſſipat: quod idem dic de nimio calore per vehementem ſonum aërisque percuſſionem in ſenſu auditus producto: & ſic de aliis. Vnde habes ſenſus eo facilius aut difficilius lædi, quo imbecilliori aut fortiori organorum temperie pollent, & hac de cauſa aquila poteſt fixis oculis Solem intueri.

Obiicies primò: Senſus læditur per ſe à forma improportionata: atqui ſpecies excellentior eſt improportionata: ergo, &c.

Reſpondeo negando minorem: quantò enim eſt

excellentior, tantò magis eſt proportionata per ſe loquendo & perfectiua potentiæ ſenſitiuæ.

Quæres quartò, an ſenſus fallatur circa ſenſibile. Vt reſpondeatur aduerte falſitatem aut errorem dupliciter ſumi poſſe: primò propriè, pro actu iudicij quo falſo componitur aliquod prædicatum cum ſubiecto aut ab eo remouetur; & hoc modo reperitur in ſolo intellectu, aliæ enim facultates non componunt nec diuidunt: ſecundò impropriè, pro ſimplici cognitione aut apprehenſione alicuius rei aliter ac eſt in ſe. Hoc poſito.

Dico ſenſum per accidens tantum errare poſſe circa ſenſibile proprium, per ſe verò circa commune & per accidens.

Prima pars probatur: quia ſenſibile proprium, cùm ſit obiectum ſpecificatiuum ſenſus, immittit in ipſum ſpeciem repræſentatiuam ſui prout eſt à parte rei, quantum eſt de ſe & niſi ab aliquo per accidens impediatur, putà à nimia diſtantia, impuritate aut indebita diſpoſitione medij: ergo ſenſus per ſe loquendo percipit proprium ſenſibile prout eſt à parte rei, & per accidens tantum apprehendit illud aliter quàm ſit.

Secunda verò pars ſuadetur ratione oppoſita: quia ſenſibile commune non immittit propriam ſpeciem ſed ſolum modificat ſpeciem ſenſibilis proprij, in qua modificatione per ſe contingit diuerſitas ratione diſtantiæ, quæ licet per accidens, quando nimia eſt, efficiat quod ſenſibile proprium non repræſentetur perfectè per ſpeciem vt in ſe eſt, per ſe tamen efficit quod ſenſibile commune aliter repræſentetur: cùm enim ſpecies immittatur in oculum v. g. per modum pyramidis, cuius baſis eſt in obiecto, & conus ſeu angulus in oculo, ex ipſa diſtantia quæcumque illa ſit ſiue parua ſiue magna oritur quod obiectum repræſentetur minus quàm in ſe ſit, atque adeò quod ſenſibile commune, nempe extenſio, motus, aut quoduis aliud percipiatur aliter quàm ſit, idque per

ſe, quia hoc oritur ex modo quo immittit ſui ſpeciem, aut potius quo modificat ſpeciem ſenſibilis proprij.

Tertia pars eſt euidens: cùm enim ſenſibile per accidens nullo modo repræſentetur per ſpeciem, non mirum eſt ſi circa ipſum ſenſus allucinentur apprehendendo vt aurum v. g. quod eſt auricalcum.

SECTIO II.

De ſenſu viſus.

QVæres primò quodnam ſit obiectum viſus: ad hoc reſpondendo.

Dico primò obiectum formale & adæquatum potentiæ viſiuæ eſſe lucem & colorem ſub vna ratione viſibilis.

Probatur: Obiectum formale & adæquatum eſt quod per ſe primò reſpicitur, vltra quod potentia non ſe extendit: atqui viſibile, vt comprehendit lucem & colorem, eſt huiuſmodi reſpectu potentiæ viſiuæ, vt conſtat: ergo, &c. Definitur autem lux, actus perſpicui ſeu lucidi vt lucidum eſt; ſiue quod in idem redit, qualitas qua diaphanum conſtituitur actu lucidum & viſibile. Diaphanum idem eſt ac tranſparens, qualis eſt aër, aqua, cryſtallus. Color autem definiri poteſt, lux per opacitatem adumbrata, ſeu qualitas ex luce & opacitate reſultans: nam ſicut mixtum virtualiter ſolùm includit elementa, ita color conſtat non formaliter ſed virtualiter luce, & opacitate lucem adumbrante: vnde conuenit mixtis, non verò elementis, quia in his reperiuntur ſeorſim lux & opacitas, illa in igne qui eſt lucidus ratione ſui, & in aëre & aqua quæ ab extrinſeco illuminantur; hæc verò in terra: propterea color

verus dicitus qualitas ſecunda, non quod formaliter aut etiam virtualiter conſtet quatuor primis, ſed præſuppoſitiuè, eo quod conſtet virtualiter luce & opacitate quæ non ſunt ſimul niſi in mixto, ſubindéquè quatuor illas qualitates præſupponit mixtas. Dixi, color verus: quia apparens, qualis eſt in iride, mari, & ſimilibus, nihil aliud eſt reipſa quam lux diuerſimodè reflexa aut refracta, vt in tractatu de meteoris dictum eſt.

Obiicies: Sola lux per ſe & ratione ſui videtur, color verò ſolum ratione lucis: ergo ſola lux eſt obiectum formale viſus.

Reſpondeo negando antecedens: quamuis enim color non videatur in tenebris, ſed ad hoc requiratur lux, eſt tamen viſibilis ratione ſui, cùm ſit quædam participatio lucis, ſeu lux participata & adumbrata: & ſolum ex parte medij, puta aëris, requiritur lux tanquam diſpoſitio vt color ſui ſpeciem immittere valeat.

Quæres ſecundò quodnam ſit ſubiectum ſeu organum potentiæ viſiuæ.

Pro reſolutione aduerte in oculis tria debere diſtingui: ſcilicet extrinſeca, quæ ſunt palpebræ & ſupercilia intima, quæ ſunt duo nerui deſcendentes à cerebro: & media, quæ ſunt duo globi habentes formam oui. Quoad extrinſeca nihil eſt quod explicatione indigeat.

Quoad media verò, ſeu globos illos, plura ſunt in iis diſtinguenda. Primò enim in globo oculi ſunt tres humores, cryſtallinus, qui dicitur pupilla, vitreus, & albugineus. Secundò ſunt quinque tunicæ, ſpecularis, reticularis, vuea, cornea, & adhærens, Tertiò ſunt ſeptem nerui admodum exigui quibus duo globi oculorum annectuntur, & appellantur mouentes quia per ſe inſtituti ſunt ad mouendos oculos in diuerſas partes. Primus humor eſt in centro oculi, & veſtitur primâ tunicâ, quæ dicitur ſpecularis, quia eſt diaphana & pellucida apta ad ſpeculandum. Secundus humor circumdat primum ita

veſtitum ſua tunica, non tamen ex omni parte quia in anteriori parte relinquitur rotundum aliquod foramen: & hic ſecundus humor vitreus veſtitur in primis tunica reticulari, quæ ita vocatur quia eſt veluti quoddam rete, habet enim venulas quaſdam in modum retis: poſtea ſuperueſtitur tunica vuea ſic dicta quia eſt ſubobſcuri coloris, ad hoc ſcilicet vt deſeruiat ad reflectendas ſpecies viſibiles, eo modo quo plumbum in ſpeculo facit vt ſpeculum reflectat ſpeciem: poſtea ſequitur tunica cornea, ſic dicta quia habet quandam duritiem ſimilem duritiei cornu: iſtæ autem tres tunicæ ita cingunt vitreum humorem, vt omnes, præter corneam quæ eſt propugnaculum cryſtallini, relinquant apertum foramen illud per quod ſupereminet humor cryſtallinus vitreo humori immerſus. Tertius denique humor, ſcilicet albugineus, vndique cingit duos alios humores ſuis tunicis inuolutos, & cingitur tunica quæ vocatur adhærens eſtque albi coloris (relinquendo ſemper apertum foramen illud ſuprà dictum:) eſt autem à natura inſtitutus iſte tertius humor, vt humectet cryſtallinum, & totam illam oculi concauitatem repleat; vitreus verò ordinatur ad nutriendum huiuſmodi cryſtallinum, quia cùm ſit ſubſtantia tenuis & delicata, non poteſt immediate nutriri ſanguine.

Intima verò oculi ſunt duo nerui optici ſeu viſorij, ita dicti quia deſeruiunt viſioni modo explicando, qui nerui deſcendunt ab anteriori parte cerebri, in qua reſidet ſenſus communis, ſic diſpoſiti vt vnus à dextra, alter à ſiniſtra parte oriatur: Qui vbi à cerebro aliquantulum receſſerunt, in media via coëunt inter ſe & omnino adunantur: quod ita à natura comparatum eſt vt ſpiritus animales poſſint à cerebro ad alterum oculum commeare, ſi alter claudatur aut via ad illum quomodocumque impediatur, vnde fit vt qui vno tantum oculo vident, melius videant cæteris paribus ob maiorem ſpirituum copiam: nec tamen manent ſemper coniuncti illi nerui, ſed antequam oculos ſubintrent ſe-

parantur & vnus ad oculum dextrum alter ad ſiniſtrum deſinit. His poſitis reſpondendo ad quæſitum.

Dico potentiam viſiuam eſſe tanquam in ſubiecto & organo totali in pupilla ſeu humore cryſtallino, ac in neruis opticis vſque ad coniunctionem illorum.

Quod potentia viſiua ſubiectetur in humore cryſtallino, fatentur omnes, & probatur: quia illa eſt præcipua pars oculorum, ad quam ordinantur tum omnes alij humores, tum omnes tunicæ, vt patet ex dictis: & præterea humor ille eſt diaphanus omnique colore deſtitutus, ſicque aptus ad recipiendas omnium colorum ſpecies; ſi enim aliquem in ſe haberet actu, non poſſet alios percipere, quia intus exiſtens prohibet extraneum: ergo humor ille eſt ſubiectum potentiæ viſiuæ.

Quod verò non ſolus ſed vnà cum neruis opticis ſupradicto modo coniunctis, probatur: quia alias ſi in ſolo duplici cryſtallino humore diſiuncto ſubiectaretur potentia viſiua, illa eſſent duplex realiter diſtincta in quolibet animali, cùm haberet duplex ſubiectum: conſequens non poteſt admitti: quia vnica ſufficit ad omnes colores percipiendos: ergo dicendum eſt ſubiectari in duobus humoribus cryſtallinis, & in neruis opticis quibus mediantibus coniunguntur humores illi efficiuntque vnum totale ſubiectum potentiæ viſiuæ.

Triplex autem eſt munus neruorum opticorum: primum eſt, per quoſdam meatus, quos habent, deferre ſpiritus animales ad oculos: ſecundum, eſſe organum viſus: ratione partium ſolidiorum ſimulque diaphanarum quas habent, vnde cùm immediatè originentur à cerebro, in quo prædominatur compoſitio aquea, magis participant de diaphaneitate aquæ quàm de opacitate terræ: tertium eſt, recipere ſpecies ad viſionem ſimul cum pupilla eliciendam, eaſque transferre ad ſenſum communem.

Quæres tertiò quodnam ſit medium potentiæ viſiuæ per quod recipit ſpecies.

Reſpondeo ex dictis eſſe diaphanum illuminatum;

SECTIO III.

De auditu.

QVæres 1. quodnam ſit obiectum auditus. Pro reſolutione.

Dico obiectum formale potentiæ auditiuæ eſſe ſonum. Quæ concluſio eſt per ſe euidens, in hoc enim differt potentia auditiua ab aliis ſenſibus, quod ipſa per ſe primò ordinetur ad ſonos percipiendos. Eſt autem ſonus, qualitas ſenſibilis reſultans ex forti percuſſione corporum ſonantium & reſilentiâ medij: vnde requirit tria corpora, ſcilicet percutiens percuſſum & medium confractum ac reſilens: licet aliquando corpus percuſſum & medium reſiliens ſeu confractum ſint idem, vt cùm ipſe aër vehementi impetu alium aërem collidit, vt in ſonitu ventorum, tunc enim quod ex totali percuſſione reſilit, eſt aër.

Si autem quæras, quomodo formetur Echo: Reſpondeo formari per hoc quod ſonus incidens in corpus aliquod durum (maxime verò concauum) & repercutiens ipſum, regrediatur per eandem lineam, atque ita definiri poteſt Echo quod ſit ſonus à corpore duro & obſiſtente in proferentem repercuſſus.

Vt autem percipiatur ſonus, non eſt neceſſe quod ſecundum ſuum eſſe naturale perueniat ad aures, ſed ſufficit quod ſit in debita diſtantia vt immittat ſui ſpeciem.

Quæres ſecundò, quodnam ſit ſubiectum ſeu organum potentiæ auditiuæ. Vt reſpondeatur.

Aduerte tria illa quæ ſupra diſtinximus in oculo, eſſe etiam proportionaliter diſtinguenda in ſenſorio

auditus, nempe extrinſeca, media, & intima. Extrinſeca ſunt aures, in quibus patet non reſidere potentiam auditiuam, cùm hæc remaneat illis abciſſis. Media verò ſunt in primis via quædam fluxuoſa & meatus in modum labyrinthi diſpoſitus multas habens cauitates & anfractus quibus aër commotus refringatur, & auditus nullum ex tali commotione patiatur damnum: quæ via ſeu meatus deſinit in concauitatem quandam iuxta cerebrum vbi reſidet ſubtilis quædam & veluti aërea ſubſtantia, quæ tamen eſt animata, & vocatur aër adnatus ſeu inſitus & vitalis, tegiturque verſus partem externam pellicula quadam ſeu membrana quæ communiter appellatur tympanum, eo quod in formam tympani ſit tenſa. Intima verò ſunt duo nerui auditorij qui deſcendunt à cerebro vſque ad aures, & illi ſubſtantiæ aëreæ in tympano vtriuſque auris incluſæ continuantur, eo proportionali modo quo de neruis opticis reſpectu pupillæ diximus ſuprà. His poſitis ad quæſitum reſpondendo.

Dico organum adæquatum potentiæ auditiuæ eſſe ſubſtantiam illam aëream ſimul cum neruis auditoriiis vſque ad eam partem in qua coniunguuntur.

Probatur: quia ſubſtantia illa aërea & tenuis eſt aptiſſima ad ſpecies audibiles recipiendas. Quod verò non in ea ſola, ſed etiam in neruis, quibus mediis ſubſtantia illa in tympano vtriuſque auris incluſa coniungitur, ſubiectetur, eadem ratione ſuadetur qua ſuprà vſi ſumus de potentia viſiua, quia ſcilicet aliàs eſſet in duplici ſubiecto diſiuncto, ſicque foret duplex.

Quæres tertiò, quodnam ſit medium potentiæ auditiuæ ſpecies intentionales ſoni ad ipſam deferens.

Reſpondeo eſſe aërem, aquam, & alia corpora quæ ſufficientem raritatem habent.

SECTIO IV.

De odoratu.

QVæres primò, quodnam ſit obiectum odoratus. Reſpondeo eſſe odorem, à quo ſuam appellationem ſumit. Eſt autem odor, qualitas ſecunda ex certo temperamento primarum, in quo ſiccum prædominatur humido, reſultans. Dices: in vino, melle, aqua roſacea, & ſimilibus, eſt odor; tamen in eis prædominatur humiditas. Reſpondeo in huiuſmodi corporibus odoriferis eſſe quaſdam partes ſubtiliores & fumidas, & in iis prædominari ſiccitatem ac odorem ſubiectari: alias vero craſſiores, & in his prædominatur humiditas, reſidetque ſapor qui ex huiuſmodi humiditatis prædominio oritur. Ex quibus habes odorem & ſaporem non reperiri niſi in mixtis: quia elementa in ſua puritate ſumpta non habent mixtionem illam qualitatum, ſiccitatis nempe & humiditatis, ex quibus odor & ſapor reſultant.

Vt autem percipiatur odor, non requiritur quod perueniat vſque ad odoratum in eſſe naturali ratione illius exhalationis & ſubſtantiæ fumidæ quam corpus odoriferum ex ſe emittit, & in qua ſicut in proprio ſubiecto reſidet ipſe odor; ſed ſufficit quod immittat ſui ſpeciem: conſtat enim quædam eſſe animalia vt vultures, coruos, & ſimilia, quæ è locis remotiſſimis, ad quæ odor in eſſe naturali peruenire nequit, ſentiunt corpora.

Quæres ſecundo, quodnam ſit organum ſeu ſubiectum proprium odoratus. Reſpondendo.

Dico eſſe proceſſus mammillares, ab Anatomiſtis ſic appellatos (id eſt duos globulos carneos, qui ſunt in naribus, mammillarum extremitatibus ſimiles) vnà cum duobus neruis quibus continuantur & coniunguntur, modo ſuprà explicato de neruis viſui & auditui deſeruientibus: qui nerui ſimiliter in ſenſum communem deſinunt. Ratio concluſionis eſt, quia in huiuſmodi globulis carneis experimur fieri odorationem, eo ſcilicet quod ſint humidiores, quod requiritur vt poſſint percipere odorem in quo prædominatur ſiccitas: ſi enim in eis ſiccitas etiam præualeret, eſſent aliquo odore affecti, & ſic non poſſent odores alios percipere, quia intus exiſtens prohibet extraneum. Sunt autem humidiores, quia ſunt prope cerebrum in quo prædominantur frigiditas & humiditas. Reſidet verò odoratus non in illis duntaxat globulis, ſed etiam in neruis quibus mediantibus coniunguntur verſus cerebrum quia aliàs huiuſmodi facultas odoratiua eſſet numero duplex ſubiectum.

Quæres tertiò, quodnam ſit medium per quod odor defertur ad odoratum.

Reſpondeo eſſe aërem & aquam: de aëre conſtat experientia: de aqua etiam patet, quia piſces in ea exiſtentes percipiunt odorem cadauerum in aquas proiectorum.

SECTIO V.

De guſtu & tactu.

DIco primò ſaporem (quem ſuppono eſſe obiectum guſtus) eſſe qualitatem ſecundam reſultantem ex permixtione primarum, in qua humidum prædominatur ſicco. Per has vltimas particulas diſ-

fert ſapor ab odore in quo prædominatur: ſiccitas ſupra humiditatem. Quod ſi in cibis aridis & ſiccis reperiatur ſapor, ideo eſt quia in iis ſunt aliquæ partes humidiores, vel quia humectantur per ſaliuam quæ dicitur condimentum ſaporum.

Dices: fames eſt appetitus calidi & ſicci, ſicut ſitis eſt appetitus humidi & frigidi: ergo cùm calidum illud & ſiccum, quod eſt cibus, ſit ſapidum, ſapor fundabitur in ſicco.

Reſpondeo negando conſequentiam: quia fames eſt appetitus cibi in quantum nutritiui, qua ratione eſt calidus & ſiccus: & non in quantum ſaporoſi, ſub qua ratione importat humidum prædominans ſicco.

Organum autem guſtus non eſt caro ipſa linguæ, ſed neruus aliquis à cerebro deſcendens ſub carne per totam linguam ramificatus. Ratio eſt, quia huiuſmodi organum debet eſſe ſiccius, vt poſſit percipere humiditatem in cuius prædominio fundatur ſapor: caro autem, cùm ſit compoſitionis aëreæ, eſt humidior, neruus verò ille ſiccior quia eſt naturæ terreæ nec participat humiditatem à cerebro, ſicut nerui mammillares, quia longius diſtat ab illo.

Medium verò guſtus eſt internum, nempe ipſa caro linguæ, qua neruus guſtatorius tegitur. Experimur enim ſapidum non poſſe guſtu percipi niſi ſecundum eſſe naturale linguam contingat: ergo medium deferens ſpecies ad ſenſorium guſtus non poteſt eſſe aliud quam caro linguæ.

Dico ſecundò obiectum tactus eſſe quatuor primas qualitates, & nonnullas alias, vt molle, durum, aſperum, rarum, denſum, & huiuſmodi: quia hæ omnes per ſe & ratione ſui tactu percipiuntur & diſcernuntur.

Quæres, vtrum tactus percipiat huiuſmodi qualitates quantum ad omnes gradus, vel ſolum quoad gradus quibus ſuperant ſimiles qualitates in actu ipſo exiſtentes. Pro reſponſione.

Dico tertiò tactum percipere qualitates tangibiles ſolum quoad gradus excedentes, ſeu vt alij loquun-

tur percipere tantum excellentias & exuperantias qualitatum tangibilium. Ratio eſt quia ſenſus debet carere qualitate pro eo gradu quem percipit, nam intus exiſtens prohibet extraneum : ergo tactus non poteſt percipere qualitates tangibiles in eo gradu quo illas habet, ſed tantum in aliis excedentibus. Et hoc patet experientiâ, manus enim calida non percipit calorem ſimilem in alia manu.

Organum autem tactus eſt neruus quidam ſub carne per totum corpus diffuſus in modum retis : caro autem eſt medium per quod ſpecies qualitatum tangibilium deferuntur ad huiuſmodi ſenſorium. Ratio eſt, quia ſenſorium tactus debet eſſe valde attemperatum, ſeu parum actiuum, ſubindéque terreum, vt qualitates actiuas & tangibiles percipere queat: neruus autem ille eſt naturæ terreæ & craſſæ, cùm tamen caro ſit naturæ aëreæ & ſpongioſæ : ergo ille erit organum tactus, hæc vero duntaxat medium.

Dico vltimo guſtum eſſe ſenſum realiter & eſſentialiter diſtinctum à tactu.

Probatur: quia vt patet ex dictis, habent diuerſa obiecta, necnon diuerſa organa. Vnde guſtus eſt ſolum in lingua tactus vero in toto corpore.

Ex dictis facile colligitur quinarius numerus ſenſuum externorum, & diſtinctio realis ſpecifica eorum ab inuicem: colligitur inquam ex quinario numerum ſenſibilium, ex diuerſitate quoque organorum, necnon modorum quibus percipiunt ſua obiecta. In perfectione autem ita ſe habent, vt viſus ſit omnium nobiliſſimus, deinde auditus, poſtea odoratus, guſtus & tactus : quia priores ſunt minus materiales, ſeu ſpiritualiores, & modo magis ſpirituali & immateriali obiecta ſua percipiunt, viſus enim percipit res à longe poſitas, & etiam auditus, alij verò maiorem requirunt propinquitatem, vel etiam contactum ſecundum eſſe materiale non tantum per ſpecies.

IN TERTIVM LIBRVM de Anima.

DISPVTATIO PRIMA Ordine VII.

De ſenſibus internis.

QVIA ſenſus interni proximè deſeruiunt operationibus animæ rationalis, quæ eſt potiſſimum ſubiectum huius libri : & tantam cum intellectu habent affinitatem, vt nonnulli antiqui Philoſophi poſuerint ſenſum internum & intellectum eſſe idem ; propterea hunc tertium librum exorditur Ariſtoteles à ſenſibus internis de quibus ſit.

SECTIO VNICA.

Statuitur dari quatuor ſenſus internos realiter diſtinctos, nempe ſenſum communem, phantaſiam, æſtimatiuam, & memoriam.

DIco primò præter ſenſus externos admittendam eſſe aliam potentiam ſenſitiuam altiorem quæ dicitur ſenſus communis.

Probatur

Probatur : Nomine ſenſus communis intelligitur potentia ordinata ad diſcernendum inter obiecta ſenſuum externorum dum actu percipiuntur ab huiuſmodi ſenſibus : atqui datur in animalibus huiuſmodi facultas, quæ neceſſariò debet eſſe alia à ſenſibus externis : ergo præter, &c. Minor quoad primam partem conſtat experientiâ : quando enim comedimus pomum e. g: diſcernimus inter colorem qui percipitur à viſu, ſaporem qui ſentitur à guſtu, & odorem ab olfactu, frigiditatem aut humiditatem à tactu, & ſonum ab auditu : quantum verò ad ſecundam, etiam conſtat, quia ad diſcernendum inter obiecta ſenſibilia oportet quod ab vna & eadem potentia percipiantur : atqui vnus & idem ſenſus externus non percipit omnia ſenſibilia : ergo non poteſt inter ea diſcernere, ſed id præſtare debet alia potentia ſuperior. Maior, de qua ſola dubitari poſſet, facilè ſuadetur : ſicut enim duo homines, quorum vnus guſtat dulce, alter amarum, non diſcernunt inter dulce & amarum ; ita duæ facultates aut plures quarum quælibet reſpicit tantùm ſuum proprium ſenſibile, nequeunt diſcernere inter huiuſmodi ſenſibilia, ſed requiritur quod vna & eadem illa percipiat, ſicut quod vnus & idem homo guſtet dulce & amarum vt inter vtrumque diſcernat.

Et ideo appellatur hæc facultas ſenſus communis, quia eſt commune receptaculum ac veluti centrum ſpecierum ſenſuum externorum,& omnia eorum obiecta percipit quando ipſis actu obuerſantur. Vnde quodlibet ſenſibile proprium, quod eſt obiectum adæquatum vnius ſenſus externi,eſt ſolùm inadæquatum reſpectu ſenſus communis, ita vt obiectum totale eius omnia ſenſibilia externa complectatur : & idem dic de ſpeciebus omnium externorum ſenſibilium, quæ ſigillatim ſumptæ ſunt inadæquatæ reſpectu ſenſus communis, collectiuè verò ſumptæ adæquantur ipſi.

Aduerte autem ſenſum communem & ſenſus externos ita ab inuicem dependere in ſuis functionibus,

vt ſenſus communis, eo quod reſidet in anteriori parte cerebri vbi radicantur omnes nerui ſenſorij, ſe habeat vt origo & principium ſenſuum externorum diſtribuens illis virtutem mediis ſpiritibus animalibus ad ſuas operationes eliciendas: è contra verò ſenſus externi mediis ſuis ſenſationibus, quarum nerui illi ſunt organa, modo ſupra explicato, deferant ſpecies obiectorum ad ſenſum communem.

Dico ſecundò admittendam eſſe aliam potentiam ſenſitiuam internam quæ dicitur phantaſia, & in homine ſpecialiter imaginatiua.

Probatur: Nomine phantaſiæ intelligitur potentia ſenſitiua ordinata ad percipienda obiecta ſenſibilia abſentia, ſeu vt abſtrahunt à præſentia & abſentia: atqui illa admittenda eſt, tum in nobis qui experimur nos obiecta ſenſibilia etiam abſentia percipere, nedum in vigilia, ſed etiam in ſomnis; tum in brutis quæ non ſe mouerent ad obiecta abſentia niſi illa cognoſcerent. Appellatur autem imaginatiua in homine, quia ex imaginibus ſeu ſpeciebus à ſenſibus exterioribus acceptis format ſibi alias imagines, putà ex ſpeciebus montis & auri format imaginem montis aurei.

Dico tertiò dari etiam potentiam æſtimatiuam, in homine cogitatiuam dictam.

Probatur: Nomine potentiæ æſtimatiuæ intelligimus facultatem ſenſitiuam quæ percipit obiecta ſenſibilia ſecundum aliquas rationes quas appellant inſenſatas, id eſt à ſenſibus externis non perceptas, putà ſecundum rationem conuenientiæ vel diſconuenientiæ, amicitiæ vel inimicitiæ vel inimicitiæ, quæ apprehenditur in obiecto ſenſibili: atqui admittenda eſt neceſſario hæc facultas ſenſitiua in animalibus, ideo enim ouis fugit dum videt lupum, non quia videt talem colorem aut figuram quandoquidem idem color, aut figura cernitur ab aliis animalibus quæ tamen non fugiunt, ſed quia naturali inſtinctu apprehendit lupum vt ſibi ſpecialiter infenſum, quod eſt apprehendere obiectum ſub aliqua ratione non

ſenſata ſeu ab exterioribus ſenſibus non percepta. Idem experimur in nobis, dum v. g. ex ſignis, nonnunquam leuibus, ſiniſtrè & aliter quam oculis noſtris obuerſetur, obiectum apprehendimus: & inde ortum habent in nobis iudicia temeraria. Appellatur autem facultas hæc in nobis cogitatiua, quaſi coagitatiua, quia apud ſe coagitat vt ita loquar & confert rationes illas de quibus ita iudicat (eſt enim aliquo modo iudicatiua circa ſingularia, ſicut intellectus circa vniuerſalia, inquit D. Thomas.

Dico quartò dari etiam memoriam ſenſitiuam, quæ in nobis reminiſcentia appellatur.

Probatur: Nomine memoriæ ſenſitiuæ prout à phantaſia diſtinctæ (ſiue realiter, ſiue ſolum per rationem, de quo poſtea) intelligimus facultatem qua cognoſcimus ſenſibilia abſentia quoad rationes illas inſenſatas, cùm phantaſia percipiat ea ſolùm prout à ſenſibus externis fuerunt cognita: atqui datur talis facultas in animalibus; ideò enim ouis abhorret à loco vbi prius lupum vidit, quia memoratur ſui inimici illic viſi: & canis quærit Dominum abſentem, quia eum vt ſibi amicum in abſentia etiam apprehendit. Ideò autem in homine dicitur reminiſcentia, quia in eo vim habet obiectum huiuſmodi ſic aliàs apprehenſum in mentem aut cogitationem reuocandi, nimirum per modum cuiuſdam diſcurſus inferendo vnum ex alio. vnde huic facultati tribuit D. Thomas hoc quod eſt diſcurrere circa ſingularia (ſcilicet imperfectè) ſicut intellectui conuenit diſcurrere circa vniuerſalia. In his verò concluſionibus conueniunt omnes: ſed controuerſia eſt vtrum hæ facultates ſint inter ſe realiter diſtinctæ, vel ſit vna & eadem quæ habeat diuerſa munia. Pro reſolutione.

Dico quintò huiuſmodi facultates eſſe inter ſe ſpecie & realiter diſtinctas.

Probatur: Illæ facultates realiter & eſſentialiter diſtinguuntur, quæ habent diuerſos formaliter actus & obiecta, ſiquidem ab eis deſumunt ſuam vnitatem

aut diſtinctionem ſpecificam. atqui prædictæ potentiæ ſenſitiuæ habent ſingulæ diuerſos actus & diuerſa obiecta partialia: ergo &c. Probatur minor: nam in primis ſingulæ percipiunt omnia ſenſibilia externorum ſenſuum, & in hoc ab huiuſmodi ſenſibus diſtinguuntur: differunt verò inter ſe quia ſenſus communis habet per ſe primò percipere ſenſibilia externa, ſecundum quod ſenſibus exterioribus hic & nunc actu obiicitur, & solùm quoad rationes quæ ab huiuſmodi ſenſibus percipiuntur, quatenus inter illa diſcernit; phantaſia verò ſeu imaginatiua per ſe primò percipit huiuſmodi obiecta ſecundum rationes à ſenſibus externis perceptas, prout abſtrahunt à præſentia vel abſentia; æſtimatiua autem habet per ſe primò conſiderat ſenſibilia huiuſmodi ſecundum rationes ſpeciales à ſenſibus aliis non perceptas, idque actualiter quando huiuſmodi ſenſibilia ſunt præſentia ſenſibus externis; memoria denique ſenſitiua percipit huiuſmodi obiecta prout à præſentia vel abſentia abſtrahentia, quoad illas rationes inſenſatas: ergo habent diuerſos actus & obiecta.

Reſpondebis huiuſmodi obiecta eſſe tantum inadæquata, & ita poſſe reſpici ab eadem realiter potentia.

Sed contra: Quia obiecta partialia reſpiciuntur à potentia ſub eadem ratione formali illis communi, eodemque modo: atqui ſenſus communis, phantaſia, æſtimatiua, & memoria reſpiciunt prædicta obiecta diuerſo modo & ſub diuerſis rationibus formalibus, nempe ſub ratione præſentis, vel à præſentia & abſentia abſtrahentis, aut quoad rationes ſenſatas vel non ſenſatas, vt explicatum eſt. ergo reſpiciunt illa obiecta vt diuerſa & adæquata.

Probatur ſecundò: Facultates quæ ſunt in diuerſis organis, ſunt realiter diſtinctæ, vnum enim & idem accidens nequit eſſe in diuerſis ſubiectis: atqui quatuor ſenſus interni ſunt in diuerſis organis: ergo. Probatur minor: ſenſus enim communis & æſtimatiua, quæ percipiunt obiecta quandiu actu

ſubiiciuntur ſenſibus externis, illa quidem ſecundum rationes ſenſatas, hæc verò quoad aliàs à ſenſibus non perceptas, petunt organa humida, vt facilè & promptè recipiant huiuſmodi ſpecies, proprium enim humidi eſt facilè recipere & etiam facilè admittere impreſſiones, vt patet in cera molli, phantaſia verò & memoria, quæ percipiunt huiuſmodi obiecta abſentia, illa quidem ſecundum rationes ſenſatas, hæc ſecundum alias non ſenſatas, petunt ſiccitatem in ſuis organis vt diù retineant ſpecies, ſiccum enim ſicut difficile recipit impreſſiones (qua de cauſa cùm volumus aliquid mandare memoriæ, neceſſe eſt illud ſæpiùs inculcare & repetere) ita difficile amittit. Deinde etiam ſenſus communis & æſtimatiua, quamuis petant humida organa, phantaſia ſimiliter & memoria poſtulent ſicca, ea tamen adhuc exigunt diuerſa & diuerſimodè diſpoſita: cùm enim æſtimatiua ſit ſpiritualior quàm ſenſus communis, vtpote reſpiciens obiectum ſecundum rationem ſpiritualiorem, & ſimiliter memoria quàm phantaſia ob eandem rationem, petunt conſequenter organa nobiliora & meliùs proportionata ac temperata.

Obiicies: Cerebrum eſt humidum & frigidum: ergo non ſunt ibi organa aliqua ſicciora aliis.

Reſpondeo negando conſequentiam: quamuis enim humiditas abſolutè prædominetur in cerebrum, cùm tamen ſit ibi temperamentum omnium quatuor qualitatum, poſſunt eſſe quædam partes ſicciores aliis, ſiue in eis prædominetur ſiccitas, ſiue non prædominetur ſed tamen ſit maior quàm in aliis.

Vt autem ſcias in qua parte cerebri ſint huiuſmodi organa & ſenſus, aduerte ibi eſſe quatuor veluti cellulas: primam in anteriori parte cerebri, in qua reſidet ſenſus communis, & à qua oriuntur nerui quibus continuatur ſenſibus externis: ſecunda ſequitur immediatè procedendo verſus poſteriorem partem capitis, & in ea reſidet phantaſia ſeu imaginatio: tertia eſt in media parte cerebri, in qua reſidet æſtimatiua: quarta, in qua eſt memoria ſenſitiua, eſt in

poſteriori parte capitis quam ſolemus perfricare ad commouendas ſpecies & excitandam memoriam cùm volumus alicuius recordari.

Quæres à quo producantur ſpecies in ſenſibus internis.

Reſpondeo ab obiectis tanquam à cauſis principalibus, mediis ſpeciebus & actibus aliorum ſenſuum, ſiue externorum, ſiue internorum, quorum operationes præcedunt, ſicut operatio ſenſus communis antecedit operationem phantaſiæ, & actus æſtimatiuæ actum memoriæ, per ſe loquendo.

Obiicies: Hi omnes ſenſus reſpiciunt idem obiectum, nempe ſingulare ſenſibile: ergo ſunt eadem realiter facultas.

Confirmatur: nam phantaſia eſt verè memorìa, ſiquidem reſpicit obiectum abſens & aliàs cognitum: ergo memoria non eſt ſenſus realiter diſtinctus à phantaſia.

Ad obiectionem diſtinguo antecedens: Habent idem obiectum materiale & in eſſe entis, concedo: formale & in eſſe obiecti, nego: ſiquidem reſpiciunt illud ſub diuerſis rationibus formalibus, vt explicatum eſt. Vnde nego conſequentiam.

Ad confirmationem reſpondeo phantaſiam poſſe dici memoriam reſpectu obiecti, quoad rationes ſenſatas cogniti, non verò quoad inſenſatas, & pro his ponitur alia facultas, cui ſpecialiter tribuitur nomen memoriæ, quia non ſuppetit aliud quo exprimatur vt diſtincta à phantaſia, quamuis in communi modo loquendi indifferenter vtamur hoc nomine ad deſignandam facultatem quæ reſpicit præteritum aut abſens alias cognitum, qualis eſt tum phantaſia tum memoria ſpecialiter dicta.

DISPVTATIO VIII.

De anima rationali ſecundum ſe.

SECTIO I.

Quid ſit anima rationalis.

DIco animam rationalem eſſe ſpiritualem & incorpoream. Hæc concluſio negari nequit ſecundum principia fidei, colligitur enim ex Scriptura & Conciliis, vt videre eſt apud authores.

Probatur ratione, ſic: Spirituale idem eſt ac immateriale, ſeu à materia abſolutum & independens atqui anima rationalis, licet ſit forma materiæ, eſt tamen in ſe immaterialis & à corpore independens: ergo eſt ſpiritualis. Probatur minor: Talis eſt anima in ſua ſubſtantia, qualis in ſuis potentiis & operationibus: atqui in ſuis potentiis & operationibus eſt immaterialis & independens à corpore: ergo &c. Maior eſt euidens, operationes enim & potentiæ ſapiunt & ſequuntur conditionem ipſius ſubſtantiæ à qua vt à ſuo principio procedunt, neque poſſunt eſſe altioris naturæ quam illa. Minor verò probatur: Propriæ potentiæ aut operationes animæ rationalis ſeu intellectualis ſunt intellectus & intellectio, & quæ ex illis conſequuntur voluntas & volitio, de

quibus ſubindè idem erit iudicium : atqui intellectus & intellectio eſt immaterialis & à corpore independens ex ſua natura, quamuis pro hoc ſtatu coniunctionis animæ cum corpore quodammodo dependeat ab ipſo ratione ſpecierum à ſenſibus corporeis emendicatarum, & phantaſmatum ad quæ neceſſe eſt in hoc ſtatu intelligentem ſe conuertere, vt infra dicemus : ergo. Probatur minor : quia intellectio vt videbimus fit per abſtractionem à materia ita vt tantò ſit perfectior, quanto à materia abſtractior, ſeu quantò fertur in obiectum eleuatius à materialibus conditionibus quæ ipſam impediunt : ergo ex natura ſua eſt independens à materia.

Probatur ſecundò concluſio, aut confirmatur ratio præcedens : Intellectus cognoſcit & intelligit tum res corporeas, tum res ſpirituales : ergo debet eſſe ſpiritualis, atque adeò & ipſa anima quæ eminentiori modo præhabet omnem perfectionem ſuarum facultatum. Antecedens patet experientiâ, diſcurrit enim circa vtraſque. Conſequentia verò probatur: & primò quod debeat eſſe ſpiritualis vt res corporeas intelligat, probatur ex illo principio, quod intus exiſtens prohibet extraneum, ex quo infertur quòd ſicut ad hoc vt oculus recipiat ſpecies colorum eoſque colores percipiat, debet in ſe eſſe expers omnis coloris, aliàs cæteros omnes ad modum illius quo afficeretur perciperet ; ita ad hoc vt intellectus ſpecies rerum omnium corporearum recipiat, eaſque res intelligere poſſit, debet neceſſariò carere omni corporeitate, ſubindéque eſſe ſpiritualis. Quod verò idem neceſſarium ſit ad hoc vt res ſpirituales percipere queat, multò euidentius eſt, neque enim potentia materialis & corporea attingere poteſt obiectum niſi corporeum & materiale, ſiquidem debet eſſe proportio inter potentiam & obiectum : ergo facultas attingens obiectum ſpirituale & immateriale, immaterialis eſſe debet & ſpiritualis.

Dices : Si potentia ſpiritualis poteſt obiecta ma-

terialia percipere, quidni è contra materialis facultas poterit ſpiritualia attingere?

Sed contra quia res materiales continentur intra latitudinem entis vt ſic, quod eſt obiectum potentiæ ſpiritualis & intellectiuæ, quod comprehendit omnia & ſpiritualia & corporea: at verò obiectum materiale, quod à potentia materiali & corporea per ſe primò reſpicitur, non continet res ſpirituales: ergo poterit quidem facultas ſpiritualis cognoſcere obiecta materialia, non verò potentia materialis ſpiritualia.

Dico ſecundò: Anima rationalis eſt incorruptibilis & immortalis; idque non ſolùm fides, ſed etiam ratio naturalis & demonſtratiua conuincit. Quod ſit de fide, patet ex illo articulo fundamentali quo credimus vitam æternam. Quod verò naturali ratione demonſtretur.

Probatur: quia id deducitur ex eius ſpiritualitate, quæ naturali lumine nota eſt: vnde ſic formatur demonſtratio: Omnis ſubſtantia ſpiritualis ſeu immaterialis, eſt immortalis & incorruptibilis ab intrinſeco: atqui anima rationalis eſt ſubſtantia immaterialis & ſpiritualis, vt concluſione præcedenti demonſtratum eſt: ergo eſt incorruptibilis de ſe & ab intrinſeco. Probatur maior: Quod caret principio intrinſeco corruptionis, tam proximo quàm remoto, illud dicitur ab intrinſeco incorruptibile: atqui ſubſtantia ſpiritualis caret principio radicali & proximo corruptionis, cùm nec habeat materiam quæ eſt primum & radicale corruptionis principium, nec dependeat ab illa, in hoc enim conſiſtit eius ſpiritualitas; nec inſuper & per conſequens habeat in ſe contrarias qualitates quæ ſunt materiales & corporeæ proximumque corruptionis principium: ergo ſubſtantia ſpiritualis & intellectualis, immortalis eſt & incorruptibilis ab intrinſeco & quantum eſt de ſe, quamuis ab extrinſeco deſtrui queat, ſi videlicet Deus ſuum concurſum conſeruatiuum ſubtraheret, quod tamen nunquam fa-

ciet quia ſe ſe accommodat naturis rerum & exigentiæ illarum, vnde res ab intrinſeco corruptibiles conſeruat per tempus quod natura earum ex ſe poſtulat; incorruptibiles verò & de ſe immortales, id eſt quæ in ſe non habent principium aliquod corruptionis, conſeruat in æternum, quia id eſt conforme naturæ ipſarum.

Probatur ſecundò ratione morali: quia vnicuique actui virtutis debetur præmium, ſicut vitio debetur pœna & ſupplicium: ergo cùm Deus ſit iuſtus & vniuerſalis mundi prouiſor, debet præmio afficere eos qui ſtudiosè viuunt, & malos condigne punire; atqui id non fit in hac vita, vbi frequenter vexantur & affliguntur boni, iniuſti verò ſæpiſſimè proſperantur & ducunt in bonis dies ſuos, vt loquitur Scriptura, Iob. 1. ergo id reſeruatur in aliam vitam, quæ ſubindè ſupereſt poſt hanc, atque adeo non moritur anima cum corpore.

Probatur tertiò efficaciſſimè ex communi conſenſu nedum omnium Philoſophorum (excepta brutali ſecta Epicureorum) ſed etiam omnium gentium omniumque populorum, vbique terrarum degentium, etiam barbarorum, qui lumine fidei priuati in hac tamen veritate ſemper conſenſere, quod argumento eſt illam eſſe lumine naturali notiſſimam.

Dico tertiò animam rationalem non eſſe productam ante corpus, ſed immediatè creari à Deo in corpore diſpoſito.

Prima pars eſt contra Origenem, qui voluit omnes animas initio mundi ſimul cum Angelis fuiſſe creatas in cœlò, ſed faſtidio affectas bonorum illorum ſpiritualium amare cœpiſſe terrena; ideoque in pœnam peccati detruſas eſſe in corpora tanquam in carceres: qui error damnatus eſt ab Eccleſia.

Probatur autem breuiter hæc prima pars: quia anima rationalis ex ſua natura eſt forma corporis: ergo nulla eſt ratio cur antequam informet corpus produci debuerit, cùm producatur vt informet. Con-

firmatur: quia anima rationalis petit vniri corpori: ergo debet ſtatim atque creata eſt ei vniri.

Secunda verò pars eſt euidens: nam anima rationalis, cùm ſit ſpiritualis & independens à materia, non fit ex ea per eductionem, ſed ex nihilo per creationem: at nullum aliud agens præter Deum creare poteſt, vt in Metaphyſica oſtendemus: ergo a Deo creatur in ipſo corpore, quando videlicet virtute diſpoſitionum naturalium reſultare deberet ſi à naturali agente nata eſſet produci, quia Deus in productione animæ rationalis gerit ſe ad modum agentis naturalis cuius defectum ſupplet.

Ex dictis hîc, & ſupra de anima vegetatiua & ſenſitiua, elicere potes definitionem animæ rationalis: ſi enim in ratione eſſentiæ conſideretur, eſt actus primus corporis phyſici organici cui vitam rationalem & intellectiuam confert: ſi verò in ratione naturæ, eſt principium radicale intelligendi ſeu ratiocinandi.

Obiicies contra primam concluſionem: Anima rationalis eſt forma corporis: ergo eſt corporea.

Reſpondeo ex dictis Diſp. 2. diſtinguendo conſequentiam. Eſt corporea vt quod, & in ſe abſolutè, ſeu quoad ſuam entitatem, nego: vt quo & in eſſe formæ conſtituentis compoſitum corporeum, concedo, ſenſu ibi explicato, id eſt formaliter eminenter.

Inſtabis: Forma conſtituens formaliter corporeum, debet eſſe in ſe & entitatiuè corporea: anima rationalis conſtituit gradum corporeum formaliter, eo modo quo alios: ergo. Probatur maior: quia non aliter tribuit hujuſmodi gradum quàm per communicationem ſeu entitatis: ergo debet illa entitas eſſe corporea vt conſtituat formaliter corporeum.

Reſpondeo corporeum ſeu materiale duobus modis ſumi poſſe, primò latè, pro omni eo quod ad materiam aut corpus ſpectat, & hoc ſenſu concedimus animam eſſe in ſe entitatiue corpoream, id eſt formam concernentem materiam: ſecundò ſtrictè,

ciet quia ſe ſe accommodat naturis rerum & exigentiæ illarum, vnde res ab intrinſeco corruptibiles conſeruat per tempus quod natura earum ex ſe poſtulat; incorruptibiles verò & de ſe immortales, id eſt quæ in ſe non habent principium aliquod corruptionis, conſeruat in æternum, quia id eſt conforme naturæ ipſarum.

Probatur ſecundò ratione morali: quia vnicuique actui virtutis debetur præmium, ſicut vitio debetur pœna & ſupplicium: ergo cùm Deus ſit iuſtus & vniuerſalis mundi prouiſor, debet præmio afficere eos qui ſtudioſè viuunt, & malos condigne punire; atqui id non fit in hac vita, vbi frequenter vexantur & affliguntur boni, iniûſti verò ſæpiſſimè proſperantur & ducunt in bonis dies ſuos, vt loquitur Scriptura, Iob. 1. ergo id reſeruatur in aliam vitam, quæ ſubindè ſupereſt poſt hanc, atque adeo non moritur anima cùm corpore.

Probatur tertiò efficaciſſimè ex communi conſenſu nedum omnium Philoſophorum (excepta brutali ſecta Epicureorum) ſed etiam omnium gentium omniumque populorum, vbique terrarum degentium, etiam barbarorum, qui lumine fidei priuati in hac tamen veritate ſemper conſenſere, quod argumento eſt illam eſſe lumine naturali notiſſimam.

Dico tertiò animam rationalem non eſſe productam ante corpus, ſed immediatè creari à Deo in corpore diſpoſito.

Prima pars eſt contra Origenem, qui voluit omnes animas initio mundi ſimul cum Angelis fuiſſe creatas in cœlò, ſed faſtidio affectas bonorum illorum ſpiritualium amare cœpiſſe terrena; ideoque in pœnam peccati detruſas eſſe in corpora tanquam in carceres: qui error damnatus eſt ab Eccleſia.

Probatur autem breuiter hæc prima pars: quia anima rationalis ex ſua natura eſt forma corporis: ergo nulla eſt ratio cur antequam informet corpus produci debuerit, cùm producatur vt informet. Con-

firmatur: quia anima rationalis petit vniri corpori: ergo debet ſtatim atque creata eſt ei vniri.

Secunda verò pars eſt euidens: nam anima rationalis, cùm ſit ſpiritualis & independens à materia, non fit ex ea per eductionem, ſed ex nihilo per creationem: at nullum aliud agens præter Deum creare poteſt, vt in Metaphyſica oſtendemus: ergo a Deo creatur in ipſo corpore, quando videlicet virtute diſpoſitionum naturalium reſultare deberet ſi à naturali agente nata eſſet produci, quia Deus in productione animæ rationalis gerit ſe ad modum agentis naturalis cuius defectum ſupplet.

Ex dictis hîc, & ſupra de anima vegetatiua & ſenſitiua, elicere potes definitionem animæ rationalis: ſi enim in ratione eſſentiæ conſideretur, eſt actus primus corporis phyſici organici cui vitam rationalem & intellectiuam confert: ſi verò in ratione naturæ, eſt principium radicale intelligendi ſeu ratiocinandi.

Obiicies contra primam concluſionem: Anima rationalis eſt forma corporis: ergo eſt corporea.

Reſpondeo ex dictis Diſp. 2. diſtinguendo conſequentiam. Eſt corporea vt quod, & in ſe abſolutè, ſeu quoad ſuam entitatem, nego: vt quo & in eſſe formæ conſtituentis compoſitum corporeum, concedo, ſenſu ibi explicato, id eſt formaliter eminenter.

Inſtabis: Forma conſtituens formaliter corporeum, debet eſſe in ſe & entitatiuè corporea: anima rationalis conſtituit gradum corporeum formaliter, eo modo quo alios: ergo. Probatur maior: quia non aliter tribuit huiuſmodi gradum quàm per communicationem ſeu entitatis: ergo debet illa entitas eſſe corporea vt conſtituat formaliter corporeum.

Reſpondeo corporeum ſeu materiale duobus modis ſumi poſſe, primò latè, pro omni eo quod ad materiam aut corpus ſpectat, & hoc ſenſu concedimus animam eſſe in ſe entitatiuè corpoream, id eſt formam concernentem materiam: ſecundò ſtrictè,

pro eo quod eſt immerſum materiæ & ab ea omnino dependens, & hoc ſenſu negamus: Illud repugnat ſpiritualitati, non illud.

Inſtabis: Anima dependet à corpore in ſuis operationibus, cùm non intelligat, niſi dependenter à corporeis ſenſibus: ergo dependet etiam in ſuo eſſe.

Reſpondeo diſtinguendo: Dependet abſolutè, nego: pro hoc ſtatu coniunctionis, permitto potius quàm concedo: hoc enim non eſt propriè dependere, ſicut enim finis non pendet propriè à mediis vt talia ſunt, cùm potius comparetur ad ea vt cauſa ad effectus, ita cùm operationes ſenſuum in homine ordinentur ad intellectionem tanquam ad finem non dicetur hæc dependere ab illis.

Obiicies ſpecialiter contra ſecundam concluſionem ex Synodo II. dicente ſolùm Deum eſſe naturâ ſuâ immortalem, Angelos verò & animas gratiâ tantùm: ergo id nequit naturaliter demonſtrari.

Reſpondeo ſenſum eſſe, ſolùm Deum eſſe eſſentialiter indefectibilem, Angelos verò & animas ex gratuita Dei voluntate eos conſeruante, quia abſolutè deficere poſſent Deo ſubtrahente concurſum ſuum conſeruatiuum à quo dependent: cum quo tamen ſtat eſſe ab intrinſeco immortales & incorruptibiles, quatenus in ſe nullum habeant corruptionis principium, & connaturaliter exigunt perpetuò durare & à Deo conſeruari.

SECTIO II.

Vtrùm vna anima rationalis ſit perfectior alterâ.

ADuerte tripliciter poſſe vnam animam rationalem dici perfectiorem alia. Primò perfectione ſpecifica: ſecundò, perfectione ſubſtantiali indiuiduali; & tertiò, perfectione accidentali.

Certum eſt omnes animas rationales æquales eſſe in perfectione ſpecifica, quia eadem prædicata eſſentialia illis competunt, cùm omnes ſint eiuſdem ſpeciei.

Certum eſt ſecundò eas eſſe inæquales in perfectione accidentali & extrinſeca, tum propter perfectiores vires ſenſitiuas quæ operationibus animæ rationalis perfectiùs deſeruiunt, tum propter aliàs qualitates ſiue naturales, vt ſcientias virtutes, gratiam, &c.

Sed dubium eſt, vtrum ſint inæqualis perfectionis ſubſtantialis indiuidualis. Partem negatiuam tenent Durandus, Toletus, & alij. Diuus autem Thomas partem affirmatiuam, & poſt ipſum alij plurimi, inter quos Doctores Pariſienſes anathema dixerunt iis qui aſſererent omnes animas eſſe æquales, quoniam aliàs anima Chriſti (inquiebant) non eſſet perfectior anima Iudæ: ſed quidquid ſit de hoc anathemate.

Dico vnam animam rationalem poſſe eſſe indiuidualiter perfectiorem altera.

Probatur: Illa forma eſt perfectior altera, perfectione ſubſtantiali indiuiduali, quæ intra eandem

ſpeciem habet ſubiectum perfectius : atqui vna anima rationalis eſt in ſubiecto ſeu corpore perfectiori quàm altera : ergo. Maior videtur euidens, perfectius enim ſubiectum & perfectior eius diſpoſitio ordinatur ad perfectiorem formam recipiendam, & è conuerſo perfectior forma ordinatur ad ſubiectum nobilius & melius diſpoſitum, atque adeo penes illud attendi debet maior vel minor perfectio formæ: ergo illa forma eſt perfectior quæ habet perfectius ſubiectum. Minor etiam non eſt minus clara, conſtat enim vnum corpus eſſe perfectius & melius diſpoſitum quàm aliud ratione melioris temperamenti: quodnam verò ſit aptius temperamentum ad perfectionem animæ & intellectus, indicat Philoſophus dicens molles carnes eſſe bene aptos mente.

Confirmatur conclusio : forma debet proportionari ſubiecto : ergo in perfectiori corpore debet eſſe perfectior anima.

Obiicies : perfectio ſubſtantialis animæ conſiſtit in indiuiſibili : ergo vna non eſt perfectior altera.

Confirmatur : quia aliàs ſubſtantia reciperet magis & minus, quod eſt contra dicta in Logica.

Ad obiectionem diſtinguo antecedens : perfectio ſubſtantialis ſpecifica & quoad prædicatata eſſentialia, concedo : perfectio ſubſtantialis indiuidualis, ſubdiſtinguo ; in vna & eadem anima, ita vt illa nequeat in ſe recipere magis & minus in perfectione ſubſtantiali indiuiduali, concedo : in diuerſis, ita vt ab initio vna non poſſit eſſe perfectior altera indiuidualiter per ordinem tranſcendentalem ad corpus perfectius & melius organizatum, nego. Vnde patet ad confirmationem, non enim ſequitur ſubſtantiam ſuſcipere magis & minus, quia ad hoc requireretur quod vna & eadem anima eſſet modo magis modo minus perfecta ſubſtantialiter, ſicut idem calor eſt modo intenſior modo remiſſior.

DISPVTATIO IX.

De potentiis animæ rationalis.

SECTIO I.

De Intellectu.

DICO primò duplicem eſſe in nobis intellectum, agentem ſcilicet & patibilem ſeu poſſibilem, eoſque realiter diſtinctos.

Quantum ad intellectum patibilem, res eſt euidens: ſub hoc enim nomine intelligitur facultas quædam ſpiritualis quam conſtat dari in nobis, cùm proprium illius actum eliciamus, cognoſcimus enim non ſolum res materiales, ſed etiam ſpirituales, ad quas facultates ſenſitiuæ nequeunt aſſurgere, atque adeo poni debet alia ab eis diſtincta & ſuperior ipſis.

Quantum verò ad intellectum agentem, facile etiam probatur: quia nomine intellectus agentis intelligitur facultas animæ ſeu virtus quædam actiua producens in intellectu poſſibili ſpecies intelligibiles ad percipienda obiecta: atqui neceſſariò admittenda eſt huiuſmodi facultas: ergo. Probatur mi-

nor : intellectus enim poſſibilis , cùm ex ſe non habeat ſpecies intelligibiles , ſed ſit veluti tabula raſa, debet illas recipere : ergo debet dari aliqua virtus quæ eas ei imprimat : atqui nec obiecta externa,nec ſenſus ſiue externi ſiue interni poſſunt immediatè & propria virtute producere & imprimere intellectui poſſibili ſpecies illas ſpirituales & intelligibiles,cùm illa ſint agentia corporea & ſubinde improportionata ; ergo debet dari in anima alia virtus quæ eas producat.

Ex quibus probata etiam relinquitur altera pars concluſionis , quod nimirum intellectus agens & poſſibilis realiter diſtinguantur : tum ratione generali , quia agens & paſſum debent eſſe diſtincta: tum ſpeciali , quia habent actus omnino diuerſos, nempe producere ſpeciem , & beneficio illius cognoſcere ; & diuerſa obiecta formalia , intellectus enim agens reſpicit res materiales vt intelligibiles in potentia faciendo eas intelligibiles actu quatenus ab eis abſtrahit ſpecies ; intellectus verò poſſibilis reſpicit res vt actu intelligibiles mediis huiuſmodi ſpeciebus : vnde prior dicitur intellectus agens , quia facit obiecta intelligibilia , & reducit intellectum poſſibilem de potentia ad actum imprimendo illi ſpecies , & propterea hic appellatur patibilis,quia veluti patitur recipiendo huiuſmodi ſpecies , recipere enim eſt pati ; dicitur verò poſſibilis , quatenus mediis ſpeciebus poteſt fieri omnia , vt explicatum eſt.

Sed inquires, vtrum intellectus agens producat ſe ſolo ſpeciem intelligibilem obiecti in intellectu poſſibili.

Reſpondeo intellectum agentem concurrere tanquam cauſam principalem ad productionem huiuſmodi ſpeciei intelligibilis , phantaſma verò aut ſpeciem ſenſibilem in phantaſia vel alio ſenſu interno, exiſtentem remque ſecundum ſuas conditiones materiales & indiuiduales repræſentantem concurrere inſtrumentaliter. Quod intellectus agens concurrat

tanquam virtus principaliter productiua, patet ex dictis, quia per ſe primò ordinatur ad productionem ſpeciei intelligibilis tanquam ad propriam actionem & effectum. Quòd verò vtatur phantaſmate tanquam inſtrumento aut potius vt inſtrumentaria virtute ad productionem huiuſmodi ſpeciei intelligibilis, ſuadetur: quia in ſpecie intelligibili duo ſunt conſideranda, nempe quod repræſentet naturam, putà humanam, & quod repræſentet eam modo ſpirituali & immateriali, id eſt ſine conditionibus materialibus vel ſingularibus: prima ratio correſpondet phantaſmati in quo repræſentatur natura, ſed conditionibus ſingularibus & materialibus affecta: ſecunda verò correſpondet intellectui agenti, & ſuperat virtutem phantaſmatis ſeu obiecti materialis in eo relucentis quemadmodum in ſciſſione artificioſa ratio ſciſſionis correſpondet ſerræ, ratio verò artificioſæ ipſi artifici: ergo ſicut ſerra concurrit inſtrumentaliter ad ſciſſionem artificioſam, ita phantaſma, ſeu quod idem eſt, obiectum media ſpecie ſenſus interni in qua repræſentatur, concurrit ad ſpeciem intelligibilem tanquam inſtrumentum intellectus agentis, ſeu potius vt virtus inſtrumentaria ipſi ſubordinata, ſicut calor naturalis ſubordinatur potentiæ nutritiuæ ad producendas carnes.

Ex quibus habes intellectum agentem abſtrahere ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus, quatenus concurrente inſtrumentaliter phantaſmate, in quo relucet natura cum ſuis conditionibus materialibus & ſingularibus (putà Petreitate, tali vel tali colore, & ſimilibus) producit in intellectu poſſibili ſpeciem repræſentantem naturam vt ſic, non repræſentatis prædictis conditionibus materialibus ſaltem directè, in hoc enim conſiſtit huiuſmodi abſtractio. Et hoc eſt etiam illuſtrari phantaſmata ab intellectu agente, vt communiter dicitur: id enim nihil aliud ſignificat niſi quod ſpecies in phantaſia, aut alio ſenſu interno exiſtens ex coniunctione cum intelle-

ctu ita excellens ſit vt per modum virtutis inſtrumentariæ eius ſpeciem intelligibilem producat. Ex quibus omnibus infero,&c.

Dico ſecundò intellectum poſſibilem non habere pro hac ſtatu niſi ſpecies intelligibiles repræſentantes directè naturas materiales vniuerſales, non verò ſingularia aut ſpiritualia niſi indirectè.

Probatur primò : quia pro hoc ſtatu non habet ſpecies intelligibiles niſi quas recipit ab intellectu agente, ſi enim aliunde haberet, fruſtrà poneretur intellectus agens : atqui ſpecies intellectu agente productæ & impreſſæ repræſentant directè ſolas naturas materiales à ſingularibus abſtractas : ergo,&c. Probatur minor : quia huiuſmodi ſpecies producuntur per abſtractionem à phantaſmatibus, quæ abſtractio conſiſtit in hoc quòd intellectus agens, concurrente inſtrumentaliter phantaſmate, ſeu ſpecie ſenſibili, Petri v. g. producat ſpeciem intelligibilem repræſentantem ſolam naturam non repræſentatis conditionibus indiuidualibus.

Confirmatur & explicatur: ideo ſenſus internus, ſeu ſpecies ſenſibilis v.g. Petri in eo exiſtens nequit propria virtute imprimere ſpeciem intellectui poſſibili, ſed ad hoc requiritur intellectus agens tanquam virtus principalis, quia intellectus poſſibilis eſt potentia ſpiritualis, ſubindéque incapax ſpeciei niſi ſpiritualis & immaterialis, quæ à ſenſu aut obiecto vel ſpecie materiali & ſenſibili nequit propria virtute produci : atqui ſpiritualitas ſpeciei intelligibilis conſiſtit in hoc quòd repræſentet naturam non repræſentatis directè conditionibus materialibus & ſenſibilibus, ſi enim eas directè & per ſe primò repræſentaret ſicut ſpecies in ſenſu exiſtens, æque materialis eſſet & ſenſibilis ac illa. Dicendum ergo reſtat ſpecies intelligibiles repræſentare directè naturas vniuerſales materiales à quibus in phantaſmate relucentibus eliciuntur (modo explicato) relictis ibi conditionibus materialibus : repræſentant tamen indirectè & ſecundario ſingularia

à quibus fuere abſtractæ; vnde cognoſcendo directè naturam humanam vt ſic, indirectè & per quamdam veluti reflexionem, ſeu vt loquitur Caietanus, arguitiue cognoſcimus ſingularia à quibus fuit abſtracta; & cùm pro hoc ſtatu cognoſcamus ſpiritualia ad modum rerum corporearum, dicendum eſt illa etiam indirectè repræſentari per ſpecies: quod etiam de entibus rationis ſentiendum eſt, illa ſcilicet per ſpecies naturarum realium, ad quarum inſtar concipiuntur, indirectè repræſentari. Dixi in concluſione, *pro hoc ſtatu*, quia animæ ſeparatæ infunduntur à Deo ſpecies quæ repræſentant directè ipſa etiam ſingularia.

Dico tertiò obiectum adæquatum terminatiuum intellectus poſſibilis eſſe ens ſeu verum in tota ſua latitudine ſumptum: obiectum verò motiuum illius pro hoc ſtatu eſſe quidditatem aut naturam materialem à ſingularibus abſtractam.

Prima pars probatur: Obiectum adæquatum terminatiuum alicuius facultatis dicitur totum illud ad quod huiuſmodi potentia poteſt terminari & quomodocumque ſeſe extendere: atqui intellectus poteſt ſeſe extendere ad totam latitudinem entis, cognoſcit enim ſubſtantias & accidentia, res materiales & ſpirituales: ergo ens in tota ſua latitudine eſt obiectum intellectus.

Secunda verò pars etiam ſuadetur: Obiectum motiuum potentiæ dicitur illud quod eam mouet imprimendo illi ſui ſpeciem: atqui pro hoc ſtatu coniunctionis animæ cum corpore, ſolæ naturæ materiales vniuerſales imprimunt intellectui poſſibili ſpeciem medio lumine intellectus agentis, eam à phantaſmatibus (ſenſu ſupra explicato) abſtrahentis, quæ indirectè tantum repræſentat ſingularia, vt vidimus: ergo obiectum noſtri intellectus motiuum pro hoc ſtatu erit ſola quidditas materialis vniuerſalis, ſiue ſubſtantialis ſit ſiue accidentalis. In ſtatu verò ſeparationis obiectum motiuum illius erit illud omne cuius ſpecies primariò & directè repræ-

ſentatiuas Deus illi infundet, quamuis illud nequeat proprie dici motiuum cùm ipſum nec mediatè nec immediatè imprimat ſpeciem.

Obiicies contra primam partem huius concluſionis: Si obiectum adæquatum intellectus noſtri eſſet ens in tota ſua latitudine, poſſet naturaliter cognoſcere & videre Deum vt in ſe eſt, nec non myſteria omnia ſupernaturalia: conſequens eſt falſum, ad hoc enim requiritur fides in via, & lumen gloriæ in patria: ergo. Probatur ſequela maioris: quia quælibet potentia poteſt naturaliter ferri ad illud omne quod continetur intra latitudinem ſui obiecti adæquati: atqui Deus vt in ſe eſt clarè viſus aut viſibilis, & omnia myſteria ſupernaturalia continentur intra latitudinem entis vt ſic & vniuerſaliſſimi: ergo.

Reſpondeo obiectum adæquatum diuidi in proportionatum ſeu connaturale ipſi potentiæ, & tale eſt omne ens naturale & Deus ipſe vt author naturæ & creator; & improportionatum, ſeu naturale lumen intellectus excedens, qualis eſt Deus vt in ſe eſt & myſteria omnia ſupernaturalia, ad quæ intellectus lumine ſupernaturali eleuatus poteſt pertingere, quod ſufficit vt intra obiectum adæquatum ipſius dicantur contineri, aliàs ferretur extra proprium obiectum, quod impoſſibile eſt, ſicut implicat quòd potentia viſiua etiam ſupernaturaliter eleuetur ad percipiendum odorem aut ſonum, hoc enim tollit propriam eſſentiam talis potentiæ. Vnde in forma nego maiorem abſolutè, vel diſtinguo ſi contineatur intra obiectum adæquatum proportionatum, concedo: improportionatum, nego.

Obiicies ſecundò: Sequeretur intellectum humanum & intellectus Angelicos eſſe eiuſdem ſpeciei, ſiquidem verſarentur circa idem obiectum ſpecificatiuum adæquatum, nempe circa ens vt ſic: conſequens eſt falſum, potentiæ enim ortæ à diuerſis ſpecie naturis nequeunt eſſe eiuſdem ſpeciei: ergo.

Reſpondeo cum quibuſdam, diſtinguendo: & con-

cedendo huiuſmodi intellectus, humanum & Angelicos, eſſe eiuſdem ſpeciei in ratione intellectus ſeu intellectiuæ potentiæ, ſicut calor in ratione potentiæ calefactiuæ eſt eiuſdem ſpeciei in omnibus calidis aut calefactiuis: negando verò eſſe eiuſdem ſpeciei in ratione proprietatis, quia hoc modo diuerſificantur penes diuerſas naturas quarum ſunt propriæ facultates; ſicut etiam dici debet de calore ignis & calore animalis: quæ ſolutio eſt valdè probabilis.

Reſpondeo ſecundo negando abſolutè maiorem: quia licet habeant idem obiectum *quod*, ſeu eandem rationem formalem *quæ*; habent tamen diuerſum obiectum *quo*, ſeu diuerſam rationem formalem *ſub qua* penes quam diuerſificantur ſpecificatiua potentiarum & habituum. Vt autem hoc intelligas.

Aduerte ſub alia ratione reſpici ens tanquam obiectum *quod* ab intellectu humano; & ſub alia à quolibet intellectu Angelico: ab intellectu enim humano reſpicitur vt intelligibile per ſpecies immateriales quidem (id eſt vel abſtractas à conditionibus ſingularibus & materialibus, vt in hoc ſtatu; vel ſaltem non coarctatas per illas, vt in ſtatu ſeparationis vbi ſpecies repræſentabit directè, non ſingulare ſolùm ſed naturam vt in ſingularibus) per ſpecies inquam immateriales, ſed valdè limitatas: ab intellectu verò Angelico reſpicitur per ſpecies magis illimitatas, ita vt per vnicam ſpeciem intelligibilem Angelus infimus cognoſcat naturam humanam v. g. cum omnibus ſuis ſingularibus, & ſuperior naturam animalis cum omnibus ſpeciebus, & ſic de aliis; cùm tamen intellectus humanus pluribus ad hoc indigeat ſpeciebus. Ex quibus patet ad formam argumenti: non enim habent huiuſmodi intellectus idem ſpecificatiuum, ſed diuerſum ob diuerſas rationes ſub quibus reſpiciunt ens vt ſic. Vnde non ſolùm intellectus humanus & Angelicus, ſed etiam omnes intellectus Angelici differunt ſpecie à ſe inuicem.

Dico quartò memoriam intellectiuam non eſſe potentiam realiter diſtinctam ab intellectu poſſibili. Hæc concluſio procedit de memoria in eo ſenſu in quo admitti poteſt in parte intellectiua animæ, pro quo.

Aduerte duplex eſſe munus memoriæ, nempe conſeruare ſpecies rerum antea cognitarum, & recordari præteritorum ſeu ferri in præterita tanquam in proprium obiectum: quia ergo memoria ſenſitiua vtrumque munus habet, cùm ſit conſeruatiua ſpecierum ſenſibilium, & feratur in ſingularia ſenſibilia per ſe primo vt præterita tanquam in obiectum proprium; ideò habet propriè rationem memoriæ: at verò potentia intellectiua, licet habeat primum munus, nempe conſeruare ſpecies intelligibiles, non tamen habet ſecundum, quia obiectum in id quod per ſe primò fertur ſunt naturæ vniuerſales quæ non ſubſunt præteritioni aut futuritioni, ſecundum ſe, & ideo non habet ita propriè rationem memoriæ; quamuis etiam habeat aliquo modo hoc ſecundum munus, tum in ordine ad naturas vniuerſales quas cognoſcere poteſt vt præteritas in eſſe cogniti, ſi non in eſſe rei; tum in ordine ad ſingularia aliàs indirectè cognita. Hoc poſito.

Probatur concluſio: Memoria eſt facultas cognoſcitiua præteriti: atqui nulla datur facultas intellectiua ab intellectu poſſibili realiter diſtincta quæ per ſe primò feratur in præteritum: ergo non datur memoria intellectiua diſtincta, &c. Probatur minor: facultas enim intellectiua, cùm intelligat per ſpecies ab intellectu agente receptas, vt vidimus, fertur per ſe primò in naturas vniuerſales quæ abſtrahunt ab omni tempore: ergo non datur facultas intellectiua quæ per ſe primò feratur in præterita: nec ſubindè memoria intellectiua eſt aliud quàm ipſemet intellectus poſſibilis qui ſecundariò tantùm reſpicit præterita ſenſu paulò ante explicato.

Confirmatur: ideò memoria ſenſitiua eſt facultas

realiter diſtincta ab aliis ſenſibus, quia habet tum obiectum formale diſtinctum, nempe ſenſibile præteritum, ſeu alias cognitum, in quod per ſe primò fertur; tum etiam organum diuerſum, in quo prædominatur ſiccitas ad ſpecies ſenſibiles conſeruandas neceſſaria: atqui memoria intellectiua nec habet obiectum primarium diſtinctum, vt oſtenſum, eſt; nec organum, quia eſt potentia non organica, & ratione ſuæ immaterialitatis mutationi minus obnoxia cito recipit & diu conſeruat ſpecies: ergo.

Dico vltimò intellectum ſpeculatiuum & practicum, rationem ſuperiorem & inferiorem, non eſſe diuerſas realiter facultates, ſed vnam & eandem potentiam intellectiuam, quæ dicitur intellectus ſpeculatiuus quatenus verſatur circa obiectum merè ſpeculabile; practicus, prout reſpicit obiectum operabile & ab ipſo intelligente ab praxim reducibile; ratio ſuperior, quatenus in agendis reſpicit rationes æternas & motiua altiora; inferior verò, quatenus reſpicit motiua inferiora & rationes temporales: quæ omnia conueniunt in vna ratione intelligibilis, ſeu obiecti formalis intellectus quod materialiter tantùm diuiditur in ſpeculabile & operabile & iſtud ſimiliter in agibile conformiter ad rationes æternas aut temporales: per quod probata manet concluſio.

Ex dictis ergo habes vnam & eandem eſſe facultatem, quæ dicitur intellectus quatenus ſimpliciter cognoſcit rem quaſi intùs legens (ait D. Thomas) vnde Angeli vocantur intelligentiæ, quia ſimpliciter & ſine diſcurſu intelligunt: dicitur ratio, quatenus vnum ex alio infert, quod eſt ratiocinari, & propterea homines dicuntur rationales, quia intelligunt diſcurrendo, id eſt ex vno priùs cognito in aliud procedendo: dicitur memoria, quatenus conſeruat ſpecies intelligibiles, & quodammodo fertur in præteritum ſenſu ſupra explicato: appellatur ratio ſuperior & inferior, intellectus practicus & ſpeculatiuus, propter rationes iam iam adductas.

§. Vnicus.

De intellectione & ſpecie expreſſa ſeu verbo.

IN intellectu actu intelligente quatuor ſunt diſtinguenda: primum, ipſa potentia intellectiua quæ eſt facultas cognoſcitiua entis in tota ſua latitudine: ſecundum, ſpecies impreſſa, ſeu habitualis ſimilitudo obiecti vt intelligibilis, conſtituens intellectum in ratione principij proximi & completi intellectionis: tertium, ipſa intellectio, quæ eſt actio propria intellectus, qua beneficio ſpeciei impreſſæ actualiter attingit & cognoſcit ſuum obiectum; actio inquam immanens & de prædicamento qualitatis, cùm ſit vltima actualitas & perfectio intellectus, non verò tranſiens & de categoria actionis quæ eſt motus ſubindéque actus imperfectus prout ab agente, eſtque perfectio ſubiecti externi in quo recipitur: quartum denique eſt ſpecies ſeu imago expreſſa obiecti actu intellecti, quæ eſt terminus intrinſecus & obiectum internum intellectionis; dicitur ſpecies ſeu imago expreſſa, quia ex impreſſa exprimitur, & ipſum obiectum in actu ſecundò exprimit aut repræſentat; dicitur & eſt terminus intrinſecus intellectionis, quia per illam producitur; item obiectum internum, quia cùm gerat vices obiecti externi, tanquam formalis eius repræſentatio, intelligitur tum vt quod, quatenus intellectio ad ipſam ſpeciem expreſſam immediatè terminatur & in ea contemplatur obiectum externum; tum vt quo, quatenus ipſo mediante fertur vlterius ad huiuſmodi obiectum extra animam exiſtens: appellatur etiam verbum mentis, quia ſicut homo per vocem oris aliis loquitur eiſque manifeſtat ſuos conceptus, tanquam per ſignum inſtrumentale; ita per illam imaginem ore in-

tellectuali,id eſt mente productam ſibi ipſi loquitur remque intellectam ſibi manifeſtat tanquam per ſignum formale : dicitur quoque conceptus ſeu partus mentis, quia ſicut ex mare & fœmina partus naſcitur, ita ex obiecto & potentia paritur noticia, id eſt ſpecies expreſſa. His poſitas.

Dico primò intellectionem realiter diſtingui à verbo ſeu ſpecie expreſſa. Eſt contra Suarem & alios plures.

Probatio : Actio realiter diſtinguitur à termino per eam producto & realiter ab ipſa procedente, cùm realiter pendeat ab illa : atqui verbum eſt terminus realiter productus per intellectionem : ergo, &c. Probatur minor contra aduerſarios qui volunt verbum non eſſe terminum realiter procedentem ab intellectione,ſed eſſe ipſammet intellectionem quam dicunt habere duplex munus , nempe cognoſcendi, & repræſentandi obiectum, & ſub priori ratione appellari intellectionem , ſub altera ſpeciem expreſſam. Probatur inquam minor illa : Illud ad quòd per ſe primò terminatur intellectio , debet eſſe realiter diſtinctum ab ipſa , aliàs omnis intellectio eſſet realiter reflexa, ſiquidem ad ſe ipſam realiter terminaretur : atqui per ſe primò terminatur ad verbum ſeu ſpeciem expreſſam repræſentantem in actu ſecundò obiectum , non verò ad ipſum obiectum externum immediatè quod ſecundum ſe non eſt præſens intra intellectum : ergo verbum ſeu ſpecies expreſſa diſtinguitur ab intellectione : & quidem diſtinctione reali maiori cum ſit inter rem & rem, vtraque enim eſt vera qualitas ſub prima ſpecie directè collocata.

Obiicies : Verbum nihil aliud eſt quàm id quo mediante cognoſcitur obiectum : atqui intellectio eſt etiam id quo, &c. ergo non diſtinguitur à verbo.

Reſpondeo verbum eſſe id quo res cognoſcitur per modum termini intrinſeci eam repræſentantis: intellectionem verò, per modum actionis rem illam

in verbo tanquam in termino *quo*, eóue mediante in ſe ipſa attingentis & cognoſcentis.

Inſtabis: intellectio eſt actualis manifeſtatio obiecti: ergo eſt idem cum verbo. Probatur conſequentia: quia verbum nihil eſt aliud quàm manifeſtatio ſeu repræſentatio obiecti.

Reſpondeo actualem manifeſtationem obiecti dici poſſe dupliciter, actiuè ſcilicet, & paſſiuè ſeu terminatiue: actualis repræſentatio actiua eſt ipſa actio qua obiectum percipitur quáue formatur ſeu producitur terminus ipſum repræſentans: paſſiua aut terminatiua, eſt ipſe terminus per talem actionem productus aut formatus in quo obiectum repræſentatur & percipitur. Hoc poſito diſtinguo antecedens: Intellectio eſt actualis repræſentatio: actiua, concedo: paſſiua aut terminatiua, nego: vnde & nego conſequentiam: ad cuius probationem reſpondeo verbum eſſe manifeſtationem ſeu repræſentationem paſſiuam obiecti, quæ cum actiua non identificatur, nec ſubinde cum intellectione.

Vrgebis: Intellectus conſtituitur in actu ſecundò per verbum: ergo verbum eſt realiter ipſemet actus ſecundus ſeu intellectio.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Conſtituitur in actu ſecundò per verbum, formaliter, nego: terminatiue & completiue, concedo: ſenſus eſt verbum eſſe terminum actus ſecundi ſeu intellectionis qua intellectus formaliter conſtituitur in actu ſecundo.

Dico ſecundò dictionem ſeu expreſſionem verbi non eſſe actionem diſtinctam ab intellectione. Senſus eſt quod quando intelligo hominem v.g. & formo ſpeciem expreſſam illius, vna & eadem eſt actio qua huiuſmodi obiectum intelligo, & qua formo ſpeciem expreſſam eius, in qua immediate, & ea mediante in ſe ipſo illud percipio. Concluſio ſic explicata eſt contra Suarem & alios.

Probatur tamen: Dictio ſeu actio qua formo & produco verbum repræſentans hominem, eſt vera in-

tellectio, cùm ſit operatio intellectus qui nullam aliam actionem elicere poteſt niſi intellectionem, ſicut nec voluntas niſi volitionem: atqui non eſt intellectio alterius obiecti quàm hominis, de quo ſolo cogito: ergo dictio non eſt diſtincta realiter ab ipſa intellectione obiecti. Vnde quamuis non omnis intellectio ſit dictio, vt videbimus, bene tamen è contra omnis dictio eſt intellectio.

Obiicies: Intellectio non includit eſſentialiter quòd ſit dictio, nec dictio includit eſſentialiter intellectionem: ergo ſunt duæ operationes ex æquo diſtinctæ. Antecedens quoad primam partem iam à nobis admiſſum eſt, quia datur aliqua intellectio quæ non eſt dictio ſeu productio verbi, vt mox dicemus: quoad ſecundam verò partem, probatur: quia prius non includit poſterius; ſed dictio eſt prior intellectione: ergo non includit illam. Probatur minor: Verbum eſt prius intellectione & præſupponitur ad illam, cùm intelligens debeat in eo contemplari & intelligere obiectum: ergo & dictio, quæ eſt productio verbi, erit eâdem intellectione prior.

Reſpondeo negando ſecundam partem antecedentis. Ad probationem illius nego minorem: ad cuius probationem diſtinguo antecedens: Verbum eſt prius intellectione, ſimpliciter & abſolutè, etiam prioritate naturæ, nego, cùm efficienter procedat ab ea: ſecundum quid, videlicet in genere cauſæ formalis extrinſecæ, concedo: & nego conſequentiam: aliàs enim cùm calor etiam & quilibet terminus actionis antecedat ipſam actionem ſecundum quid in genere cauſæ finalis aut formalis extrinſecæ, vt pote proprium eius ſpecificatiuum, deberet productio caloris antecedere calefactionem, atque adeò ſeipſam. Poteſt etiam reſponderi intellectionem ſub ratione dictionis ſeu productionis verbi antecedere ſe ipſam ſub ratione intellectionis conſideratam, non verò ſimpliciter; eo proportionali modo quo aliàs dicebamus de actione voluntatis vt

F 2

eſt cauſalitas agentis & finis : & ſic poteſt conſequentia diſtingui. Ex quibus habes eandem actionem dici dictionem per ordinem ad verbum quod format, & intellectionem per ordinem ad obiectum quod in eo & in ſe ipſo intelligit.

Dico tertiò omnem intellectionem creatam eſſe dictionem, ſeu producere verbum, excepta ſola viſione beata, ſeu intuitiua intellectione qua beati vident clarè Deum.

Prima pars probatur : quia ad omnem intellectionem requiritur vt obiectum ſit intra potentiam intellectiuam vnitum ipſi in ratione obiecti terminantis : atqui nullum obiectum, præter eſſentiam Dei clarè viſam, vnitur intellectui ratione ſui tanquam actualis terminus intellectionis : ergo debet ipſi vniri per ſui ſpeciem, ſeu imaginem ipſum repræſentantem, & terminantem cognitionem. Maior conſtat : quia proprius modus operandi intellectus eſt quòd attrahat ad ſe res cognitas, vnde fit vt res cognitæ debeant habere aliquod eſſe intra intellectum, non ſolùm in ratione obiecti mouentis, ſeu principij effectiui intellectionis ad quam per ſpeciem impreſſam concurrunt, ſed etiam in ratione terminantis. Minor verò probatur : quia obiectum cuiuſcunque intellectionis alterius à viſione beata, aut ſecundum ſe non eſt intra intellectum, ſeu ipſi vnitum, aut ſi ſecundum ſe ſit præſens & vnitum, non habet tamen ſufficientem immaterialitatem & perfectionem ſeu actualitatem vt ex ſe ſit terminus actualis ipſius intellectionis, ſiue actualis repræſentatio ſui ipſius vt actu cogniti, cùm nulla res creata id habeat quòd eſſentialiter ſit terminus actu cognitus: ergo. Vnde licet eſſentia Angeli habeat rationem ſpeciei intelligibilis in cognitione ſui ipſius, quia ex ſeipſa eſt intelligibilis in actu primo, non tamen habet rationem ſpeciei expreſſæ, quia ex ſua eſſentia non habet quòd ſit actu intellecta, ſeu terminus actualis intellectionis, quod tamen eſt de ratione ſpeciei expreſſæ ; atque adeò Angelus in ſui etiam

cognitione format verbum. Ex quibus.

Habes ſenſus etiam internos formare ſpeciem expreſſam: quia obiectum aut non eſt ipſis præſens ſecundum ſe, ſicut obiectum phantaſiæ & memoriæ; aut ſi ſit præſens, non eſt tamen ſecundum ſuam entitatem ſufficienter immateriale vt ex ſe ſit actualis terminus cognitionis. Senſus verò externi non formant, quia & obiectum eſt ipſis præſens, cum non percipiant abſentia; & eſt ſufficienter immateriale vt per ſe terminet ſenſationem externam quæ eſt multò materialior quàm interna. Ob duas ergo rationes debet à nobis produci verbum: nempe defectu præſentiæ, & defectu ſufficientis immaterialitatis obiecti ad terminandam per ſe cognitionem: ita vt ſi præſentia & ſufficiens immaterialitas adſint in obiecto, non debeat formari ſpecies expreſſa illius: debeat verò formari, ſi altera deſit. Ex quibus.

Secunda pars concluſionis probata manet: quia eſſentia diuina intellectui beato vnita habet vtramque conditionem, & quod ſit intimè præſens ipſi ſecundum ſe, & quod ſit ſufficientiſſimè immaterialis vt per ſe ipſam terminet cognitionem & ſit actu intellecta: atque adeo non debet intelligi & clarè videri media aliqua ſpecie expreſſa à beato producta: quod enim eſt tale per ſe, non debet fieri tale per aliud. Nec inde inferas Deum intelligendo ſe non formare verbum, eo quòd eius eſſentia ſit ſecundum ſe vnita imo identificata diuino intellectui, & ex ſe actualiſſima: reſpondetur enim ſolùm inde ſequi quòd non producat verbum (hoc eſt ſecundam perſonam Trinitatis) ex indigentia, quaſi opus habeat verbo illo producto ad cognoſcendam ſuam eſſentiam; non verò quod non producat ipſum ex ſumma fœcunditate.

Obiicies non poteſt dari actio ſine termino producto: ergo nec vlla intellectio ſine verbo producto per ipſam.

Reſpondeo concedendo antecedens de actione quæ eſt eſſentialiter motus, ſeu fieri termini, aut

via ad ipſum, ſicut eſt actio tranſiens; negando de ea quæ non eſt motus, ſed actus perfectus & qualitas ac vltima actualitas & perfectio ipſius potentiæ, vt eſt intellectio: hæc enim poteſt quidem producere verbum, vel ex indigentia ſicut in nobis quando obiectum non eſt ſecundum ſe præſens, aut ſufficienter immateriale; vel ex ſumma fœcunditate vt in Deo, non debet tamen neceſſariò, vt diximus de viſione beata, quia illa nec indiget, nec fœcunda eſt: intellectio ergo erit quid ſuperius reſpectu intellectionis formantis verbum, & non formantis.

Quæres vtrum neceſſarium ſit in hoc mortali ſtatu vnionis animæ cum corpore intelligentiam conuerti ad phantaſmata, ſeu ſpeculari illa.

Reſpondeo affirmatiue. Cuius axiomatis ſenſus eſt, neceſſarium eſſe quòd quotieſcumque per intellectum cognoſcimus aliquod obiectum, putà naturam humanam, phantaſia aut alius ſenſus internus debeat ſimul & ſemel ſpeculari aliquod ſingulare ſenſibile ad huiuſmodi naturam pertinens, putà Petrum: quod experientia conſtat, numquam enim naturam aliquam intelligimus niſi imaginando aliquod illius ſingulare ſaltem vagum. (Et hinc prouenit amentia, nempe ex leſione phantaſiæ quæ iuuare debet intellectum: non verò ex parte ipſius intellectus, qui cùm ſpiritualis ſit, nequit lædi.) In ſtatu verò ſeparationis, aut etiam poſt reſurrectionem, non erit neceſſaria huiuſmodi conuerſio ad phantaſmata: quia tunc intellectus in ſua operatione non dependebit à ſenſuum functionibus.

SECTIO II.

De voluntate eiuſque libertate.

DVplex eſt appetitus proprius naturæ cognoſcentis: alter ſenſitiuus, qui eſt inclinatio naturæ ſenſitiuæ in bonum per ſenſum apprehenſum: alter intellectiuus ſeu rationalis, qui eſt inclinatio aut facultas quædam qua natura intellectualis fertur in bonum apprehenſum per intellectum, & hic eſt voluntas. Senſitiuus, qui nobis & brutis communis eſt, diuiditur in concupiſcibilem & iraſcibilem, tanquam in duas potentias realiter ab inuicem diſtinctas, vtpote diuerſa reſpicientes obiecta formalia, concupiſcibilis enim fertur in bonum ſenſibile ſub ratione delectabilis & conuenientis præcisè; iraſcibilis verò, ſub ratione ardui & acquiſitu difficilis. Appetitus verò rationalis, qui rationalem animam medio intellectu conſequitur, eſt vnicus & ſimplex: quia reſpicit bonum vt ſic tanquam obiectum adæquatum, ad quod materialiter ſe habent ratio boni delectabilis & ratio boni ardui ſeu difficilis. De appetitu ſenſitiuo eiúſque actibus, qui ſunt paſſiones, non eſt hîc locus diſſerendi: agetur de eis in Morali. De rationali verò ſeu voluntate aliquæ ſunt reſoluendæ hîc difficultates inter auctores controuerſæ. Prima eſt, vtrum voluntas ſit perfectior intellectu, aut è contra. Pro reſolutione.

Dico primò intellectum eſſe ſimpliciter perfectiorem voluntate, quamuis hæc poſſit dici ſecundum quid perfectior. Eſt contra Scotum.

Probatur: illa potentia eſt ſimpliciter perfectior

& nobilior, quæ habet obiectum formale nobilius, ſiquidem penes illud tanquam penes proprium ſpecificatiuum attendenda eſt perfectio eſſentialis & ſpecifica potentiæ: atqui intellectus habet obiectum formale perfectius & nobilius quàm voluntas: ergo Probatur minor: illud obiectum eſt altius & perfectius, quod eſt ſimplicius & abſtractius à materia: atqui obiectum intellectus eſt abſtractius & ſimplicius obiecto voluntatis: ergo. Probatur in primis maior: quamuis enim res ſingularis & exiſtens ſit perfectior in eſſe entis quàm natura vniuerſalis, & à ſingularitate ac exiſtentia abſtractas cum exiſtentia ſit vltima perfectio & actualitas entis; attamen in eſſe obiecti perfectior eſt res ſeu quidditas ſimplex & abſtracta à conditionibus ſingularibus, vtpote independentior; perfectius enim obiectum eſt color vt ſic, qui non poteſt attingi niſi ab intellectu, quàm talis numero color qui etiam percipitur à ſenſu. Minor verò videtur clara: obiectum enim intellectus eſt ens vt abſtrahit ab exiſtentia & conditionibus materialibus; obiectum verò voluntatis eſt bonum ſeu ens ſingularitate & exiſtentia concretum: voluntas enim non fertur in vniuerſalia, nec appetit equum vt ſic v. g. ſed talem equum in ſingulari: ergo obiectum intellectus eſt ſimplicius & abſtractius obiecto voluntatis, ſubindéque perfectius in eſſe obiecti.

Probatur ſecundò: quia licet voluntas moueat & applicet quoad exercitium, intellectum ſicut & alias facultates ad ſuas operationes (ſiue talis applicatio fiat imprimendo eis aliquam phyſicam motionem, vt nonnulli volunt; ſiue ſimpliciter eas flectendo per ſolam naturalem ſympatiam & colligationem quam habent in eadem natura) & ex hoc capite poſſit dici ſecundum quid perfectior intellectu, vt aſſerit concluſio: ipſe tamen intellectus nobiliori modo mouet voluntatem, nempe quoad ſpecificationem, repræſentando ei obiectum, ordinando, regendo, imperando, & præſcribendo ei le-

ges: ita vt motio & operatio intellectus præcedat motionem voluntatis: ergo eſt ſimpliciter perfectior illa. Quod etiam ex eo probari poſſet quòd intellectus eſt prima proprietas animæ immediatè emanans ab eius eſſentia, ſubindéque eius perfectionem magis participans quàm voluntas quæ dimanat tantum mediante intellectu quem præſupponit, ſicut ipſa volitio præſupponit intellectionem obiecti voliti, ſiquidem nihil volitum quin præcognitum. Inſuper confirmari poſſet ex eo quòd oſtenditur in meliori Theologia beatitudinem formalem, quæ eſt perfectiſſima operatio creaturæ intellectualis, eſſe operationem intellectus, nempe claram Dei viſionem, non verò operationem voluntatis: ex quo manifeſte ſequitur intellectum eſſe ſimpliciter perfectiorem; vt pote cuius operatio ſit perfectior.

Obiicies: Illa potentia eſt ſimpliciter nobilior, cuius præcipuus actus eſt perfectior præcipuo actu alterius: ſed præcipuus actus voluntatis eſt perfectior præcipuo actu intellectus: ergo. Minor probatur: quia amor Dei eſt perfectior cognitione Dei: ergo præcipuus actus voluntatis eſt perfectior præcipuo actu intellectus. Antecedens videtur certum: tum quia vniuerſaliter docet D. Thomas quòd cognitio eorum quæ ſunt ſupra nos eſt imperfectior eorundem amore, ſicut è contra cognitio eorum quæ ſunt infra nos eſt perfectior amore illorum: tum quia illud eſt melius, cuius oppoſitum eſt peius: ſed oppoſitum amoris Dei eſt peius oppoſito cognitionis illius, peius enim eſt odiſſe Deum quàm non eſſe aut videre: ergo amor Dei, &c.

Reſpondeo conceſſa maiore, negando minorem. Ad probationem diſtinguo antecedens: Amor Dei eſt perfectior cognitione Dei, clara & intuita illius vt in ſe eſt, nego: vt obſcura eſt per effectus, qualem nos habemus, concedo. Et ad primam probationem reſpondeo amorem rerum ſpiritualium quæ ſupra nos ſunt, eſſe perfectiorem illarum cognitione quando eas non cognoſcimus vt in ſe ſunt ſed ad modum

rerum corporearum, vt in hoc ſtatu; ſecus quando eas vt in ſe ſunt cognoſcemus. Pro cuius rei intelligentia, nota diſcrimen quod eſt inter modum operandi intellectus & voluntatis, quòd hæc cùm ſit inclinatio in bonum conueniens, fertur in res vt ſunt à parte rei; ille verò eas ad ſe attrahit per ſpecies & cognoſcit prout ſibi repræſentantur: vnde fit vt pro hoc etiam ſtatu voluntas feratur in ea quæ ſunt ſupra nos, prout in ſe ſunt; ſecus verò intellectus, quia non repræſentantur ei vt ſunt in ſe ipſis, ſed ad modum obiecti motiui ipſius, nempe quidditatis materialis cuius duntaxat ſpecies habet. Atque ita perfectior erit amor eorum quæ ſupra nos ſunt quàm cognitio pro hoc ſtatu, non verò in ſtatu ſeparationis quando cognoſcentur etiam prout in ſeipſis ſunt. Ad ſecundam verò probationem eiuſdem antecedentis diſtinguo maiorem: oppoſitum amoris Dei, nempe odium, eſt peius oppoſito cognitionis claræ illius, in eſſe morali, concedo: in eſſe phyſico, nego: ergo amor Dei eſt perfectior, in eſſe morali ſeu meritorio, concedo: in eſſe phyſico, nego: vnde nihil contra nos qui ſolùm intendimus intellectum eſſe potentiam phyſicè nobiliorem voluntate.

Dico ſecundò libertatem voluntatis creatæ conſiſtere formaliter in indifferentia actiua voluntatis, quâ poſitis omnibus præuiè ad agendum requiſitis poteſt agere vel non agere, agere hoc vel illud in ſenſu diuiſo. Supponit concluſio voluntatem noſtram eſſe liberam, quod eſt de fide & per ſe euidens cum habeat dominium ſuorum actuum quod conſiſtit in illa indifferentia ratione cuius poteſt ad libitum illos elicere aut non elicere, vnde oritur quòd poſſit bene vel male operari, mereri aut demereri; ſine libertate enim nulla eſt virtus, nullum peccatum. Dixi, formaliter, nam radicaliter conſiſtit in indifferentia intellectus proponentis voluntati obiectum vt non habens omnimodam rationem boni, ſubindéque vt non neceſſariò amabile, ſed cum indifferentia, vtpote habens aliquam rationem boni vnde amari

poſſit, & aliquam rationem mali aut minus boni vnde reſpui queat.

Probatur autem & explicatur concluſio: dicitur libertas conſiſtere in indifferentia actiua, quia non poteſt in ſola indifferentia paſſiua conſiſtere, ita quòd voluntas eatenus dicatur libera quatenus poteſt ab aliquo extrinſeco putà à Deo determinari ad volitionem & nolitionem, ipſa mere paſſiue ad huiuſmodi actus ſe habente, vt voluit Lutherus damnatus in Concilio Tridentino. Et ratio eſt euidens: quia voluntas eſt potentia vitalis, & actiones eius ſunt vitales; de ratione autem actus vitalis eſt quod emanet effectiuè à principio interno. Dixi poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis poſſe non agere in ſenſu diuiſo: quia inter prærequiſita ad agendum, maximè eſt decretum diuinum æternum, quo poſito manet libertas, nec tamen manet indifferentia & potentia ad non agendum in ſenſu compoſito, aliàs enim eſſet in nobis potentia ad illud decretum fruſtrandum: ergo libertas conſiſtit formaliter in indifferentia ad agendum vel non agendum in ſenſu tantum diuiſo. Quod confirmatur: quia in omni ſententia quod actu amo, libere amo, & tamen non poſſum non amare in ſenſu compoſito, ſed ſolum in ſenſu diuiſo: ergo idem quod prius.

SECTIO III.

De potentia executiua, num diſtinguatur ab intellectu & voluntate.

ADuerte duplicem in nobis eſſe diſtinguendam potentiam executiuam aut loco motiuam: aliam actiuam, id eſt effectiuam ipſius motus localis, qui

cùm ſit vitalis procedere debet à principio actiuo interno: aliam vero paſſiuam per totum corpus diffuſam reddentem membra habilia & rectè diſpoſita ad obediendum potentiæ loco motiuæ actiuæ, & recipiendum ab ea motum; eo proportionali modo quo grauitas & leuitas reddunt corpora apta ad motum ſurſum vel deorſùm, qui effectiuè procedit à generante: defectu cuius potentiæ paſſiuæ membra arida non poſſunt immediatè moueri ab anima. Hoc poſito certum eſt potentiam executiuam paſſiuam eſſe qualitatem realiter diſtinctam à potentia cognoſcitiua & appetitiua, cùm ſubiectetur in toto corpore, ſecùs verò illæ generaliter loquendo, cùm intellectus & voluntas nulli inhæreant ſubiecto corporeo, & ſenſus ac appetitus ſenſitiuus ſint in parte aliqua determinata. Quantum verò ad potentiam executiuam actiuam.

Dico huiuſmodi potentiam executiuam ſeu locomotiuam non eſſe aliam realiter ab intellectu & voluntate in nobis, quoad motus liberos; aut à phantaſia ſiue alio ſenſu interno & appetitu ſenſitiuo in brutis, & in nobis etiam quantum ad motus naturales ſiue indeliberatos.

℟ Probatur: quia omnis potentia actiua animæ ſenſitiuæ aut rationalis debet eſſe ſenſitiua vel rationalis: ſed potentia motiua actiua eſt facultas animæ ſenſitiuæ aut intellectiuæ vt talis: ergo debet eſſe ſenſitiua aut intellectiua ſeu rationalis: atqui potentiæ ſenſitiuæ & rationales non ſunt aliæ quàm ſenſus aut intellectus, & appetitus: ergo potentia actiua motiua non erit alia ab eis.

Sed difficultas eſt quænam illarum facultatum immediatius exequatur ſeu efficiat motum, & per quem actum: Quidam enim volunt potentiam cognoſcitiuam concurrere ſolùm directiuè ad motum, appetitiuam verò efficere ipſum per actum deſiderij quo abſolùtè & efficaciter eum appetit, ita vt ille actus deſiderij ſit formaliter immanens & virtualiter tranſiens.

Dico tamen ſecundò facultatem cognoſcitiuam non tantùm directiuè concurrere ad motum localem; ſed immediatè ipſum exequi ſeu efficere, appetitum verò mediatè tantum.

Probatur ex modo procedendi huiuſmodi facultatum: nam primùm omnium vis cognoſcitiua apprehendit bonum executioni mandandum aut acquiſibile per motum localem, atque adeo huiuſmodi motum apprehendit vt medium ad bonum illud acquirendum: deinde appetitus illud efficaciter deſiderat, ſuóque illo efficaci deſiderio mouet & applicat vim cognoſcitiuam, intellectum videlicet aut phantaſiam; ex qua efficaci motione facultas cognoſcens habet vim efficaciter imperandi & efficiendi motum, ipſumque ſubinde efficit per imperium formaliter quidem immanens ſed virtualiter & quoad efficaciam tranſiens. Ratio autem huius eſt, quia poſt actum imperij quo intellectus motus ſeu impulſus deſiderio efficaci dicit, *Fiat hoc*, non poſſet ſequi niſi actus voluntatis applicantis potentiam actiuam ad opus imperatum, putà ad videndum, ſi viſio imperetur: atqui in propoſito non debet ſequi actus ille voluntatis, cùm non ſit aliqua potentia executiua actiua applicanda, ſiquidem facultas loco motiua prout ab intellectn & voluntate diſtincta eſt tantùm paſſiua, id eſt quædam habilitas ad motum: ergò actus imperij immediatiùs concurret ad motum quàm actus voluntatis.

Ex quibus ſequitur in anima ſeparata reperiri potentiam loco motiuam actiuam, cùm illa non ſit alia in anima rationali vt tali quàm voluntas & intellectus per cuius imperium virtualiter tranſiens (id eſt effectum vel motum ad extra producens, æquè ac actio formaliter tranſiens) poterit ſe ipſa localiter moueri, eo proportionali modo quo angeli, neque enim in illo ſtatu requiritur potentia loco motiua illa quam diximus reſidere in toto coniuncto.

Et hæc de tota naturali Philoſophia, ad maio-

rem illius gloriam & honorem, cuius inuiſibilia à creatura mundi, per hæc naturalia & viſibilia quæ ab ipſo facta & à nobis in hac facultate conſiderata ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & Diuinitas ſuper omnia adoranda in ſæcula. Amen.

Finis totius Phyſicæ.

METAPHYSICA

PROOEMIVM.

METAHPYSICA eſt ſcientia ſpeculatiua entis realis vt ſic ſecundum rationes à materia ſeu corporeitate abſtractás, Deo & creaturis communes. Hæc definitio tria ſtatuit: primum eſt Metaphyſicam eſſe ſcientiam: ſecundum, eſſe ſpeculatiuam: tertium, obiectum eius eſſe ens reale in communi à materia ſeu corporeitate abſtrahens, prout complectitur ens creatum & increatum. Primum conſtat, quia procedit demonſtratiuè, multas enim proprietates, vt vnitatem, veritatem, bonitatem, de ente reali demonſtrat. Secundum etiam eſt euidens, quia ordinatur ad ſolam ſpeculationem, non verò ad praxim: contemplatur enim ſuum obiectum vt ſciat, non verò vt operetur. Tertium ſuadetur: & in primis quòd obiectum formale adæquatum Metaphyſicæ non ſit ens communiſſimè ſumptum, prout complectitur ens reale & rationis, ex eo conuincitur quod non conſiderat primario ens rationis, ſed tantùm ſecundario, cùm ſit ens fictum non niſi ſimilitudinariè paſſiones veri entis participans: ſubindéque non pertinet ab obiectum formale: quod

obiectum proinde erit ſolùm ens reale : non corporeum & naturale, quod pertinet ad Phyſicam : ergo à corporeitate abſtractum. Quod verò ſit ens reale commune Deo & creaturis, non verò ſolùm ens reale creatum, ſuadetur : quia proprietates quæ demonſtrantur in Metaphyſica, nempe vnum, verum, bonum, & ſimiles conueniunt per ſe primò enti reali communi Deo & creaturis, non verò enti creato reduplicatiuè quà creatum eſt alias non competeret Deo : ergo obiectum adæquatum Metaphyſicæ eſt ens reale commune Deo & creaturis. Ex quibus.

Habes primò obiectum formale & per ſe Metaphyſicæ complecti vt partes ſubiectiuas, ens reale vt ſic, ens increatum, ens creatum (in quæ duo, hoc eſt, increatum & creatum, ens reale vt ſic immediatè diuiditur ;) ſub ente creato ſubſtantiam & accidens ; ſubſtantiam inquam in communi, & in particulari ſubſtantias ſpirituales aut angelos ; item accidens in communi, & ſub illo qualitatem & relationem vt ſic, & in particulari accidentia omnia ſpiritualia. Quia ſcilicet hæc omnia abſtrahunt à materia & corporeitate : abſtrahunt inquam vel re ipſa, vt ſubſtantiæ ſpirituales, & accidentia quoque ſpiritualia ; vel ratione, vt alia. De his ergo agit per ſe Metaphyſica : de aliis verò putà de prædicamentis quantitatis, vbi, & ſimilibus, non niſi per accidens, quatenus participant rationem communem entis realis.

Habes ſecundò ens aliter dici obiectum intellectus, aliter obiectum Metaphyſicæ : obiectum enim intellectus eſt ens communiſſime ſumptum ſecundum omnes gradus : obiectum verò Metaphyſicæ, ſecundum gradus tantum ſeu rationes abſtrahentes à materia : vnde illud eſt vniuerſalius, quod omnes ſcientiæ ſibi diuidunt.

Habes tertiò ſcientiam hanc meritò appellari Metaphyſicam, id eſt ſupernaturalem : non quod eius obiectum ſupernaturale ſit, eo ſenſu quo obiectum

Theologiæ diuinæ quæ agit de Deo & de myſteriis ſupernaturalibus ſolâ diuinâ reuelatione cognitis; ſed quia eſt eleuatum ſeu abſtractum à natura, eo ſenſu quo natura ſumitur in Phyſica, nempe pro materia & forma, ſeu principio radicali motus. Dicitur etiam & eſt ſapientia, quia procedit per altiſſimas cauſas ac principia vniuerſaliſſima, ipſamque primam & altiſſimam omnium cauſam nempe Deum, quantum naturali lumine attingibilis eſt, ſi non vt obiectum adæquatum, ſaltem vt principale contemplatur. Vnde etiam appellatur prima Philoſophia: de quo vide dicta in præfatione totius-Curſus. Appellatur etiam Theologia naturalis (hoc eſt lumine naturali procedens) ab eodem principali obiecto, nempe Deo. Hanc verò facultatem quam Ariſtoteles in quatuordecim partitus eſt libros, in tres partes nos diuidemus.

PRIMA PARS METAPHYSICÆ.

De ente reali in communi.

SICVT in Phyſica prius egimus de ente mobili vt ſic, prout abſtrahit ab omni ſpecie determinata motus, ſeu à mobili locali, generabili, aut vitali, de quibus in reliquis partibus: ita hîc conuenit prius agere de ente reali in communi prout abſtrahit à creato & increato, de quibus in duabus ſequentibus partibus.

DISPVTATIO I.

De quidditate entis realis in communi.

ENS reale vt ſic dicitur id quod habet aut aptum eſt habere eſſe ſeu exiſtentiam in rerum natura. Circa hoc ſit.

SECTIO I.

Vtrùm ens ſit vniuocum vel analogum reſpectu inferiorum.

DIco primò ens reale non eſſe vniuocum reſpectu creati & increati, ens creatum reſpectu ſubſtantiæ & accidentis, ſeu decem prædicamentorum. Eſt contra Scotum.

Probatur: Vniuocum eſt illud, cujus ratio ſignificata eſt eadem ſimpliciter in ſuis inferioribus: atqui ratio nomine entis ſignificata non eſt eadem ſimpliciter in Deo & creaturis, in ſubſtantia & accidente, ſed potiùs ſimpliciter diuerſa in illis: ergo ens non eſt vniuocum, &c. Probatur minor: Quod eſt in vno ſimpliciter & in alio ſecundum quid, eſt ſimpliciter diuerſum in illis: atqui comparandò Deum ſeu ens increatum cum ente creato, ratio en-

tis reperitur in illo ſimpliciter, in hoc verò ſecundum quid; & ſimiliter conferendo ſubſtantiam cum accidente, ratio entis creati reperitur ſimpliciter in illa, in iſto verò ſecundum quid ſolùm: ergo &c. Probatur minor: quia ens idem eſt ac habens eſſe: atqui ſolus Deus habet ſimpliciter eſſe, habet enim eſſe per eſſentiam & neceſſariò, creaturæ verò ſolùm per participationem & accidentaliter; vnde eſſentia Dei eſt eſſe ſeu exiſtere, quod eſt mere accidentale creaturæ: ſimiliter facta collatione ſubſtantiæ cum accidente, illa ſola poteſt ſimpliciter dici habens eſſe, quia per ſe & in ſe exiſtit, accidens verò in alio: ergo, &c.

Dices rationem entis eſſe eandem ex parte ſui in Deo & in creatis, in ſubſtantia & in accidente; prædictam autem diuerſitatem peti ex propriis rationibus huiuſmodi inferiorum, quod non obeſt vniuocationi.

Sed contra: quia ratio ſimpliciter talis in vno & ſecundum quid in alio non eſt vna ex parte ſui & eadem ſimpliciter, ſed huiuſmodi diuerſitatem in ſe importat: atqui ratio entis, vt probatum eſt, eſt ſimpliciter talis in vno inferiorum, in alio ſecundum quid ſolùm: ergo, &c. quod ſequenti ſectione confirmabitur.

Dico ſecundò ens eſſe analogum reſpectu Dei & creaturarum, ſubſtantiæ & accidentis, tam analogia proportionalitatis quàm attributionis.

Quòd ſit analogum, non verò vniuocum, aut ex oppoſito purè æquiuocum, conſtat ex præcedenti concluſione: quia ratio entis nec eſt ſimpliciter eadem in inferioribus, quod eſt proprium vniuoci, nec omnino diuerſa, quod ad æquiuocationem requiritur: ſed ſecundum quid eadem, tametſi ſimpliciter diuerſa, in quo conſiſtit analogia.

Quod autem ſit analogum analogiâ proportionalitatis ſuadetur: quia ratio nomine entis ſignificata reperitur intrinſecè in omnibus inferioribus, cùm non ſint intrinſecè nihil; & eſt ſimpliciter diuerſa

in illis, proportionaliter verò ſimilis, in quo conſiſtit analogia proportionalitatis, quæ proportionalitas in propoſito in eo ſita eſt quòd ſicut Deus habet ſuum eſſe ita & creatura; idem dic de ſubſtantia cum accidente collata: ergo ratio entis eſt ſecundum quid & proportionaliter eadem in illis, tametſi ſimpliciter diuerſa, ſubindéque analoga analogia proportionalitatis.

Quòd verò ens ſit analogum analogiâ etiam attributionis, probatur aduertendo ens duobus modis ſum poſſe: primò communiter, quatenus ſignificat habens eſſe qualecumque, & hoc modo intrinſecè reperitur in omnibus ſuis inferioribus, & eſt analogum analogiâ proportionalitatis: ſecundò, omnino propriè, quatenus ſignificat habens eſſe ſimpliciter, quod, factâ collatione Dei cum creaturis, ſoli Deo intrinſecè conuenit, & ſoli ſubſtantiæ comparando eam cum accidente; & ſic eſt analogum attributionis. Analogum enim attributionis eſt illud cuius ratio ſignificata intrinſecè reperitur in vno, quod propterea appellatur principale analogatum; in aliis verò minùs præcipuis, ſolùm extrinſecè, quatenus dicunt habitudinem ad rationem illam ſoli præcipuo analogato intrinſecam, & ab ea extrinſecè denominantur: atqui ratio nomine entis propriè & ſimpliciter dicti ſignificata intrinſecè reperitur in ſolo Deo, factâ collatione ipſius cum creaturis quæ ſunt tanquam nihil & quaſi non eſſent in conſpectu Dei; & ſimiliter ratio entis creati ſimpliciter reperitur in ſola ſubſtantia: ergo erit analogum analogia etiam attributionis. Minor probata relinquitur: creaturæ enim, cùm habeant eſſe ſolùm per participationem & contingenter, nequeunt dici habere eſſe ſimpliciter intrinſecè in comparatione ad Deum qui habet eſſe à ſe, per eſſentiam, & neceſſariò. Vnde ſicut medicina, pulſus, & alia huiuſmodi denominantur extrinſecè ſana à ſanitate animalis, ad quam dicunt habitudinem cauſæ, ſigni, effectus, aut huiuſmodi; ita creaturæ extrinſecè ſolùm denominari poſſunt

entia ab entitate ſimpliciter dicta ſoli Deo intrinſeca, quatenus ſunt quædam participationes, effectus, ſigna, & veſtigia illius. Et quod diximus de ratione entis omnino propriè dicti, intelligendum eſt etiam de omnibus aliis perfectionibus bonitatis, ſapientiæ, iuſtitiæ, quæ ſimpliciter dictæ in ſolo Deo intrinſecè reperiuntur, vnde dicebat Chriſtus, *Nemo bonus niſi ſolus Deus.* Similiter dic de accidentibus comparatione ſubſtantiæ cuius ſunt affectiones, effectus, & ſigna.

Dices: Si creaturæ extrinſecè denominarentur ab entitate per eſſentiam Deo intrinſecam, denominarentur entia per eſſentiam & Deus, ſimiliter accidentia denominarentur ſubſtantia.

Reſpondeo negando ſequelam, ſolum enim ſequitur creaturas debere dici aliquid entis per eſſentiam aut Dei, & accidentia aliquid ſubſtantiæ, putà effectus aut affectiones, ſigna vel veſtigia.

Obiicies contra primam concluſionem: Ens eſt medium demonſtrationis, ergo debet eſſe vniuocum reſpectu omnium contentorum ſub ipſo, aliàs quod affirmabitur aut negabitur de eo in præmiſſis, non poterit affirmari aut negari in concluſione de minori extremo.

Reſpondeo negando conſequentiam: ad hoc enim ſufficit quod importet rationem proportionaliter eandem in inferioribus, ſubindeque quòd ſit analogum proportionalitatis, hoc enim ipſo quòd in præmiſſis affirmatur bonum de ente, quod eſt proportionaliter idem in Deo & creatura, in ſubſtantia & accidente, debet de eis eodem modo proportionaliter affirmari bonum in concluſione.

Obiicies contra ſecundam partem ſecundæ concluſionis: Analogum attributionis ſignificat rationem intrinſecam ſoli principali analogato, & extrinſecum aliis; ſed ratio entis eſt intrinſeca non ſolùm Deo, ſed etiam creaturis; ſimiliter ratio entis creati intrinſece conuenit nedum ſubſtantiæ ſed etiam accidentibus: cum non ſint intrinſece nihil,

ſed à parte rei exiſtant: ergo ens non eſt analogum attributionis reſpectu illorum.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Ratio entis communiter & late ſumpti, concedo: Ratio entis ſimpliciter, nego: pro cuius ſolutionis intelligentia conſule ſuperiùs dicta in probationem huius partis quam obiectio impugnat. Sed.

Pro intelligentia omnium dictorum hîc, & ſectione ſequenti dicendorum, ac pro ſolutione multarum obiectionum, omninò recolenda ſunt quæ diximus in Logica de analogia, vbi etiam multa ſpecialiter de ente. Quod verò de ente reali, quod eſt obiectum Metaphyſicæ, diximus reſpectu ſuorum inferiorum, idem cenſendum eſt de ente communiſſimo quod diuiditur in ens reale & ens rationis, illud nempe nec eſſe vniuocum, nec purè æquiuocum, ſed analogum reſpectu huiuſmodi membrorum diuidentium, idque ob eaſdem proportionaliter rationes.

SECTIO II.

Vtrum ens dicat vnum conceptum ſimpliciter præciſum ab inferioribus.

DVplex eſt conceptus: alter formalis, qui eſt actus intellectus aut verbum ipſius repræſentans vel attingens aliquod obiectum: alter obiectiuus, qui eſt ipſum obiectum cognitum, aut ratio illa obiectiua conceptui formali correſpondens. De vtroque conceptu procedit difficultas & quæſtio, cuius ſenſus eſt vtrum conceptus quem formamus de ratione entis vt ſic: ſit perfectè præciſus in eſſe cognoſciti-

tiuo ab inferioribus entis, id eſt attingat aut reſpiciat præciſe ens ſine inferioribus, & viciſſim ipſum ens quod illi conceptui formali obuerſatur, ſit aliquis gradus perfectè præſcindibilis ab huiuſmodi inferioribus, ſicut animal à ſuis, vel ea ſemper importet ſaltem implicite. Pro reſolutione.

Dico primò ens vt ſic non eſſe gradum aliquem ſeu conceptum obiectiuum ſimpliciter & perfecte abſtractum aut abſtrahibilem à ſuis inferioribus, ſubindéque conceptum formalem eius non perfectè ab illis præſcindere.

Probatur: Conceptus perfectè præciſus dicitur ille qui actu non importat proprias rationes inferiorum, ſed ſolum in potentia, ſicut animal in potentia ſolum includit rationale & irrationale: atqui ens non importat ſolum in potentia ſed actu ſaltem implicito ſua inferiora aut quaſi inferiora (quod addo, quia hoc ipſo quod non eſt gradus perfectè præciſus non habet proprie rationem ſuperioris) ergo &c. Probatur minor: Ratio quæ importat ſolùm in potentia & non actu ſua inferiora, eſt perfectè vna ſubindéque vniuoca reſpectu illorum, ſiquidem ex parte ſui nullam importat diuerſitatem: atqui ratio entis vt ſic non eſt ſimpliciter vna & vniuoca reſpectu Dei & creaturarum, ſubſtantiæ & accidentis, vt præcedenti ſectione probatum eſt: ergo, &c.

Probatur ſecundò: Ideò conceptus ſubſtantiæ eſt gradus perfectè præciſus à corporea & incorporea quia datur aliqua perfectio ab ipſa ratione ſubſtantiæ vt ſic dimanans in qua ſimpliciter conueniunt ſubſtantia corporea & incorporea, videlicet ſubſiſtentia & exiſtentia per ſe, quæ eſt alia à perfectionibus propriis à corporeitate & ſpiritualitate dimanantibus: atqui non datur aliqua perfectio à ratione entis vt ſic dimanans in qua ſimpliciter conueniant inferiora eius: ergo ratio entis vt ſic non eſt perfectè abſtrahens à &c. Maior conſtat: ratio enim perfectè præciſa dicitur illa quæ cum fundamento in re perfectè cognoſcitur non cognitis in-

ferioribus, illud autem fundamentum nihil aliud eſt quàm perfectio aliqua aut operatio ab illa ratione communi profluens, diſtincta à propriis perfectionibus inferiorum. Minor verò non eſt minus certa: ens enim vt ſic eſt ſolùm radix exiſtentiæ, quæ eſt omnino diuerſæ rationis in inferioribus eius, in Deo enim eſt ipſamet eius eſſentia, in creatura, extra eſſentiam, in ſubſtantia eſt exiſtentia per ſe: in accidente, inexiſtentia: ergo ens vt ſic non eſt radix alicuius perfectionis in qua inferiora eius ſimpliciter conueniant, quæque proinde ſit fundamentum perfectæ præſcindibilitatis.

Probatur tertiò, ſupponendo ens eſſe tranſcendens reſpectu ſuorum inferiorum, ita vt nulla ſit in eis formalitas in qua intime non imbibatur & de qua eſſentialiter non prædicetur ens vt ſic, prout ſignificat habens eſſe qualecumque tandem: cum enim ens vt ſic & nihil contradictorie opponantur, debet ens intime includi in eo omni quod non eſt nihil. Quo poſito ſic formo argumentum. Ad hoc vt gradus aliquis perfecte præſcindatur à ſuo inferiori, debet huiuſmodi inferius reſolui in duos ſaltem conceptus, ſuperiorem ſcilicet & differentialem: atqui inferiora entis nequeunt diuidi in duos conceptus quorum alter ſit ens vt ſic, alter differentialis: ergo ens non eſt gradus ſuperior perfecte præſcindibilis. Maior eſt euidens: in tantùm enim animal eſt gradus perfecte præciſus, inquantum eius inferius, putà homo, in duos conceptus reſolui poteſt, in animal ſcilicet & rationale, quorum prior dicitur abſtrahi à poſteriori animal enim non dicitur propriè abſtrahi à ſpecie quæ ſine ipſo intelligi nequit, ſed à differentia. Minor verò facilè ſuadetur: quia propria ratio aut differentia cuiuſlibet inferioris entis intimè & tranſcendentaliter includit ipſum ens, aliàs eſſet nihil: ergo huiuſmodi inferius non poteſt diuidi in duos conceptus ſe ſe excludentes, ſicut animal & rationale, quod neceſſe eſſet ad perfectam præciſionem.

Declaratur: Propriæ rationes quibus ens veluti contrahitur

contrahitur ad Deum & creaturas, ad ſubſtantiam & accidens, ſunt ratio entis per eſſentiam aut per participationem, modus eſſendi per ſe vel in alio: atqui in illis ſemper incluſa manet ratio entis: ergo,&c.

Reſpondebis, inde ſolum inferri præciſionem non eſſe mutuam, id eſt proprias & peculiares huiuſmodi rationes non poſſe viciſſim præſcindi ab ente.

Sed contra: quia præciſio, ſi quæ ſit, debet eſſe mutua, quod enim præſcinditur ab alio, non debet manere incluſum in illo, nec viciſſim. Sed recurre ad duas priores rationes, vt enim verum fatear hæc vltima non efficaciter conuincit niſi contra Scotum, probat enim ſolùm quod ens non poſſit ita præſcindi vt ſit genus reſpectu inferiorum, quia manet ſemper incluſum in propriis rationibus illorum, quod repugnat generi, vt in Logica vidimus. Quod autem diſtinguit Scotus, dicens ens quod abſtrahitur eſſe ens *quid*, illúdque non manere incluſum in modis eſſendi per ſe & in alio, ſed ſolùm ens *quale* & differentiale, eſt planè fictitium: quia ens in huiuſmodi propriis rationibus aut modis incluſum eſt verum ens quod definitur *habens eſſe*, ſeu *cuius actus eſt eſſe*, ſub qua ratione eſt commune (ſupple) analogicè ſuis inferioribus.

Maneat igitur ens non habere conceptum obiectiuum perfectè vnum & præciſum ab inferioribus, ſubindéque nec conceptum formalem, implicat enim intellectum perfectè concipere ens ſine ſuis inferioribus, ſi ens non ſit aliquis gradus perfectè & cum fundamento in re præſcindibilis.

Dico tamen ſecundò ens habere conceptum obiectiuum & formalem ſecundum quid & imperfectè præciſum ab inferioribus.

Probatur: Conceptus perfectè præciſus eſt ille qui importat ſolùm in potentia proprias differentias inferiorum, & ideò propriè & ſimpliciter dicitur contrahi & determinari per illas, imperfectè verò præciſus eſt ille qui quamuis actu importet proprias ra-

tiones inferiorum, non tamen eas importat explicitè: atqui ens licet non in potentia ſolùm importet proprias rationes inferiorum, ſubindêque non dicatur propriè contrahi & determinari per eas, ſed actu illas includat, non importat tamen eas explicite in ſuo concepto: ergo habet conceptum ſecundum quid præciſum, in quo differt ab æquiuoco quod explicitè importat proprias rationes æquiuocatorum. Probatur minor: quia conceptus explicitus entis eſt *habens eſſe* ſeu *id cuius eſt eſſe*: atqui id non importat explicitè Deum aut creaturas, ſubſtantiam vel accidens, vt conſtat, ſed ſolùm implicite, quatenus non ſimpliciter ſed ſecundum quid & proportionaliter conueniunt in ratione habendi eſſe, vt in præcedentibus explicitum eſt: ergo, &c. Vnde dicitur contrahi & determinari per proprias rationes huiuſmodi analogatorum, non proprie ſicut genus per differentias, ſed ſolùm improprie & per maiorem expreſſionem, quatenus nomine Dei & creaturæ, ſubſtantiæ & accidentis, ſeu nomine entis per eſſentiam aut per participationem, modi eſſendi per ſe aut in alio, exprimitur & explicitè importatur id quod ens vt ſic actu ſolùm implicito includit. Et per hoc ſoluuntur infinitæ propemodum obiectiones.

Obiicitur enim in primis, ſic: Illud habet conceptum perfectè præciſum à ſuis inferioribus, quòd perfectè concipitur ſine illis: atqui ens vt ſic perfecte concipi poteſt non cognitis inferioribus, ergo &c. Probatur minor: quando enim concipitur ens vt ſic, ſolùm intelligitur id quod habet eſſe non verò concipitur habens eſſe per eſſentiam aut per participationem, per ſe vel in alio.

Confirmatur primò: Quæ conueniunt in aliqua ratione ſuperiori, poſſunt concipi ſub illa præciſe, ſubindéque poteſt illa ratio abſtrahi perfecte ab illis: atqui omnia entia conueniunt in ratione communi entis: ergo &c.

Confirmatur ſecundò: Conceptus de quo intelle-

ctus eſt certus, non includit conceptum de quo eſt dubius, ſubindéque præſcindit ab illo: atqui poteſt intellectus eſſe certus de conceptu aut ratione entis, dubius verò de ratione ſubſtantiæ vel accidentis; putà ſi inueniam hoſtiam ſuprà altare, certus ſum illam eſſe ens, dubius autem an ſit ſubſtantia panis vel ſolum accidens, quia forte eſt conſecrata: ergo &c.

Confirmatur tertiò: quia ſi ens importaret implicite ſubſtantiam & accidens, falſa eſſet hæc propoſitio. Homo eſt ens.

Ad obiectionem nego minorem: ad cuius probationem reſpondeo tunc ſolum concipi explicite ens ſeu habens eſſe; implicite verò, & in confuſo concipi ens per eſſentiam & per participationem, ens per ſe & in alio, cùm habens eſſe nihil aliud ſit quàm ea prout proportionaliter & ſecundum quid conueniunt in hoc quòd eſt habere eſſe: quod ſi nihil de eis etiam implicite videamur cogitare, ideo eſt quia imperfectiſſimè concipimus rationem entis,

Ad primam confirmationem diſtinguo maiorem: Quæ conueniunt ſimpliciter in aliqua ratione, concedo: ſecundum quid, nego: at verò inferiora entis non conueniunt niſi ſecundum quid, proportionaliter, & analogicè in ratione entis. Dices: Ratio entis eſt ſuperior, & membra eius inferiora: ergo poteſt concipi ſine eis, vt animal ſine ſuis ſpeciebus. Reſpondeo eſſe ſuperiorem non ſimpliciter, cùm actu implicito importet ſua membra diuidentia, ſed tantùm ſecundum quid, quatenus non importat explicitè illa; quæ viciſſim ſunt ſecundùm quid tantùm inferiora, nec contrahunt illam rationem propriè, & per additionem differentiarum propriè dictarum, ſed ſolùm impropriè & per modos magis exprimentes.

Ad ſecundam diſtinguo maiorem: Non includit, explicite & diſtinctè, concedo: implicite & in confuſo, nego: quæ diſtinctio applicanda eſt conſequentiæ.

Ad tertiam nego ſequelam, quia prædicatur tantum id quod ens explicite importat.

Quod verò hactenus diximus de ente reſpectu ſuorum membrorum diuidentium, ſentiendum eſt etiam de accidente reſpectu nouem prædicamentorum, quòd nimirum ſit analogum, quia inæqualiter & modis maximè diuerſis participatur ab illis, vt colligere potes ex dictis in Logica de propria ratione cuiuſque accidentis prædicamenti: item quòd non habeat conceptum ſimpliciter præciſum: tum ex illa ratione analogiæ, vt de ente probatum eſt ratione prima; quia non datur fundamentum illius præciſionis, quia nulla perfectio dimanat à ratione communi accidentis, diſtincta à perfectione conſequente gradum qualitatis, quantitatis, &c. tum denique quia tranſcendentaliter includitur in propriis rationibus accidentium, cùm quælibet ſit ens in alio: hoc tamen vltimum efficacius probat accidens non eſſe genus reſpectu nouem prædicamentorum, aduerſus eos qui duo tantum ſtatuunt dari prædicamenta, nempe ſubſtantiam & accidens.

Dices: Omnes rationes noſtræ conuincunt de ente & de accidente vt abſtrahunt à completo & incompleto, non autem de ente & accidente completis?

Sed contra: quia nullum ens poteſt intelligi completum, niſi intelligatur in ratione ſubſtantiæ, vel quantitatis, vel qualitatis, &c. ſimiliter nec vllum accidens: non negamus autem ens quod eſt ſubſtantia, quantitas, & huiuſmodi, eſſe vniuocum & perfectè præciſum, ſed tantum de ente vt ſic & de accidente in communi id inficiamur.

DISPVTATIO II.

De proprietatibus entis realis.

CErtum eſt ens vt ſic non habere proprietates phyſicas & prædicamentales, quæ (vt in Logica diximus) appellantur illæ quæ ab eſſentia realiter emanant & diſtinguuntur, ſubindéque ſunt extra illam, ita quòd nec eſſentia in illis nec illæ in ipſa eſſentia includantur: ens autem in omnibus realiter & tranſcendentaliter includitur: atque ita proprietates ſolùm Logicas aut attributales, quæ ſunt modi quidam aut formalitates non realiter, ſed ſolùm virtualiter diſtinctæ, habere poteſt: de quibus ſit.

SECTIO I.

Quæ & quot ſint huiuſmodi entis proprietates.

DIco primò ens habere tres proprietates attributales ſeu prædicabiles, nempe vnum, verum, bonum.

Probatur: Proprietas attributalis eſt modus aliquis ſeu prædicatum realiter quidem indiſtinctum ab eſſentia, virtualiter tamen diſtinctum & dimanans

ab ea: atqui ex ipſa eſſentia ſeu quidditate entis conſequitur per modum virtualis emanationis quòd ſit indiuiſum in ſe & diuiſum à quolibet alio, in quo conſiſtit ratio vnius; quòd ſit cognoſcibile & conforme aut conformabile intellectui, in quo conſiſtit ratio veri, quod ſit amabile ſeu obiectum conforme & congruum voluntati, in quo conſiſtit ratio boni: ergo &c.

Dico ſecundò: Res aliquid non ſunt proprietates diuerſæ ab aliis.

Prima pars videtur clara: proprietates enim debent conſequi eſſentiam: at verò res non conſequitur ad ens, ſed eſt ipſamet quidditas & eſſentia entis: ergo non eſt eius proprietas. Probatur minor: nam res & ens in hoc ſolum diſtinguuntur, quod res dicit ſolam quidditatem entis vt in ſe eſt, præſcindendo ab ordine ad eſſe; ens verò importat eandem cum ordine ad eſſe.

Secunda verò pars ſuadetur: quia vnum importat id quod ſignificatur per aliquid: ergo aliquid non eſt proprietas ſaltem diſtincta ab vno. Probatur antecedens: quia vnum definitur quod ſit ens indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio, ſeu quod non ſit aliud: ſed aliquid nihil aliud ſignificat quàm aliud quid, id eſt quid ab alio diuiſum: ergo vnum importat ſaltem ſecundariò id quod per aliquid ſignificatur.

Confirmatur: Dupliciter poteſt ſumi aliquid: primò prout opponitur nihilo, & ita idem eſt ac ens; ſecundò prout ſignificat aliud quid ex ſua etymologia, id eſt quid ab alio diuiſum; & ſic non poteſt eſſe proprietas entis diſtincta ab vno, vt oſtenſum eſt.

Ex quibus habes tranſcendentia ſimpliciter loquendo eſſe tantum quatuor, nempe ipſum ens & tres eius proprietates, quæ omnia tranſcendunt, hoc eſt per omnia omninò rerum genera diuagantur, & in omnibus earum formalitatibus intimè includuntur. Ratio autem corollarij patet, quia vt vidimus, res

& aliquid non ponuntur in numero cum aliis. Solent tamen ipſis connumerari, & ita poni ſex tranſcendentia, Ens, Vnum, Verum, Bonum, Res, & Aliquid; quatenus res aliquo modo differt ab ente in hoc quòd non importat explicitè ordinem ad eſſe, ſicut illud, & aliquid differt etymologiâ ab vno.

SECTIO II.

De vnitate.

HÆc eſt prima proprietas entis vt ſic cum eo conuertibilis, de qua quæritur in primis quid addat ſupra ens: & quidem communiter recepta eſt eius definitio, quâ.

Vnum definitur ens indiuiſum in ſe & diuiſum à quocumque alio: & conſequenter vnitas, entitas diuiſa in ſe &c. Difficultas ergo eſt quid importet de formali ratio vnius. Pro reſolutione.

Dico primò importare formaliter entitatem cum indiuiſione in ſe, principalius tamen ipſam entitatem. Senſus eſt quod ratio vnius non eſt formaliter ſola indiuiſio ſeu negatio diuiſionis in ſe, nec etiam ſola entitas, ſed entitas cum negatione talis diuiſionis, ita tamen vt principaliter & in recto dicat entitatem, negationem verò diuiſionis, minus principaliter & in obliquo, ſeu de connotato, tanquam complementum.

Probatur: quia vel vnum dicit de formali entitatem tantùm, vel indiuiſionem tantùm, vel vtramque ſimul: duo priora non poſſunt dici: ergo tertium. Probatur minor: & primò quod vnum non dicat ſolam entitatem, ſed etiam negationem diuiſionis in ſe, probatur: quia ſi ſolam entitatem im-

portaret, nullo modo diſtingueretur ab ente, ſed ens & vnum eſſent ſynonima: ſecundò, quod nec ſolam negationem diuiſionis importet de formali, probatur: quia carentia diuiſionis præciſè ſumpta eſt non ens: abſurdum autem eſt dicere proprietatem entis eſſe non ens: reliquitur ergo quòd vnum dicat entitatem & ſimul carentiam diuiſionis: quòd autem illam principaliter importet, hanc verò minùs principaliter & in obliquo, ſuadetur: quia non poteſt importare vtranque ex æquo, ex ratione enim poſitiua entis & ex negatione æqualiter importatis nequit conflari vnitas per ſe: ergo debet importare alteram in recto & principaliter, alteram in obliquo: atqui non poteſt importare ipſam negationem in recto & principaliter, aliàs proprietas entis principaliter eſſet non ens: ergo importat in recto ipſum ens, non quidem ſub conceptu explicito entis, ſed per modum fundamenti talis negationis diuiſionis, quæ ſubindè importatur de connotato ad inſtar modi (ſupple negatiui) complentis rationem formalem vnius. Ex quibus facilè intelliges definitionem allatam, quâ vnum dicitur Ens indiuiſum in ſe, ex quo conſequitur quod ſit diuiſum à quocumque alio, vnde diuiſionem à quocumque alio importat tantùm ſecundario. Et ex his infero etiam &c.

Dico ſecundò vnum non addere aliquid reale poſitiuum ſupra ens, ſed ſolam indiuiſionem. Patet ex præcedenti concluſione: quia vnum importat ſolùm in recto ipſum ens, & in obliquo indiuiſionem quæ eſt negatio diuiſionis: ergo hanc ſolam addit ſupra ens.

Probatur inſuper ratione generali qua initio ſectionis præcedentis oſtenſum eſt ens non habere proprietates phyſicas & realiter ab ipſo diſtinctas: quia ens intimè includitur in omni perfectione poſitiua: ergo vnitas non addit perfectionem aliquam poſitiuam diſtinctam ab ente.

Confirmatur: quia ſi ens non eſſet ſe ipſo vnum, ſed per aliquid reale ſuperadditum, daretur pro-

ceſſus in infinitum : nam illud ſuperadditum eſſet vere ens, vt conſtat, atque adeo eſſet vnum : vel ergo per ſe ipſum, vel per aliquid reale vlteriùs ſuperadditum : ſi primum, ergo ens erit vnum per ſe ipſum & ſine aliquo reali ſuperaddito : ſi ſecundum, de illo reali ſuperaddito idem inquirerem.

Obiicies : vnum dicit perfectionem ſimpliciter ſimplicem, cùm in Deo formaliter reperiatur vnitas : ergo non importat de formali indiuiſionem quæ eſt priuatio, ſubindéque imperfectio.

Reſpondeo diſtinguendo conſequentiam : non dicit indiuiſionem in recto, concedo : in obliquo & de connotato, nego : & deinde cum diuiſio potiùs dicat imperfectionem, ipſa diuiſio quæ eſt priuatio illius dicit quodammodo perfectionem.

Quæres quomodo vnum & multa, ſeu vnitas & multitudo opponantur.

Reſpondeo opponi priuatiuè, quatenus multitudo importat diuiſionem in ſe, cùm dicat plures vnitates ab inuicem diuerſás : vnitas vero dicat indiuiſionem in ſe ſeu priuationem illius diuiſionis quam importat multitudo.

§. Vnicus.

De vnitate indiuiduali, eiuſque principio.

DVplex, vt diximus in Logica, tractatu de vniuerſalibus, eſt vnitas : altera formalis, quæ eſt entitas indiuiſa formaliter, ſeu carens formali diuiſione cauſatâ per differentias eſſentiales, vel genericas, & dicitur vnitas formalis generica (ad quam reducitur vnitas analoga ;) vel ſpecifica, & appellatur vnitas formalis ſpecifica : altera indiuidualis, quæ eſt etiam ipſa entitas vt carens diuiſione materiali cauſatâ per differentias indiuiduales :

atque ita vtraque importat totam rei entitatem, illa ſecundum gradus ſuperiores quos conſequitur, iſta ſecundum gradum indiuidualem: vnde ſicut gradus illi abſolutè loquendo & ſi conſiderentur ſecundum perfectiones & actualitates quas important, ſumuntur à forma, vt in libris de anima explicuimus (eſto generici inquantum tales, & vt potentiales deſumantur radicaliter à materia, in his quæ materiâ conſtant, prout etiam explicuimus in Logica) ita & vnitates formales quæ in eis fundantur: nec de hoc eſt controuerſia, ſed tantùm de vnitate indiuiduali, à quo ſcilicet vt à principio radicali deſumenda ſit. Pro quo.

Dico primò vnitatem pure indiuidualem non poſſe ſumi niſi à materia, non nude ſumpta, ſed vt ſignatâ quantitate. Eſt contra Scotum dicentem ſumi ab hæcceitate, & Suarem qui ait ſumi à forma. Vnitatem autem vel differentiam pure indiuidualem appellamus eam quæ facit differre ſolùm indiuidualiter & numericè ea quæ formaliter & ſpecie conueniunt, qualis eſt in Petro comparatione Pauli, & foret in vno angelo comparatione alterius eiuſdem ſpeciei ſi darentur plures intra eandem ſpeciem: non purè indiuidualem, eam quæ facit differre nedum numericè & indiuidualiter, ſed etiam formaliter & ſpecificè, qualis eſt in eodem Petro comparatione leonis, & in Angelo Gabriele v. g. reſpectu Michaëlis vt ſuppono ex communi ſententia & patebit ex dicendis. Hoc prælibato:

Probatur concluſio quoad primam partem: vnitas purè indiuidualis dicitur illa qua res conſtituitur indiuiſa in ſe & diuiſa ab aliis intra eandem ſpeciem: atqui illa nequit deſumi niſi à materia: ergo &c. Probatur minor: omnis diuiſio aut multiplicatio intra eandem ſpeciem debet neceſſariò fieri per materiam, & implicat fieri per aliud principium: ergo vnitas quâ res conſtituitur indiuiſa in ſe, & diuiſa ab aliis intra eandem ſpeciem; debet neceſſariò deſumi à materia. Probatur antecedens: Diuiſio ma-

terialis non poteſt fieri niſi per materiam, ſicut diuiſio formalis per formam: ſed diuiſio naturæ intra eiuſdem ſpeciei limites eſt ſolùm materialis, formalis enim facit res diuerſæ ſpeciei: ergo, &c.

Confirmatur & explicatur: ab eo tanquam à principio radicali res indiuiduatur, à quo ſumit ſuam differentiam numericam, qua ſcilicet conſtituitur hæc numero natura (quæ differentia appellatur propterea hæcceitas:) atqui differentia illa qua res conſtituitur hæc numero diſtincta ab aliis intra eandem ſpeciem non poteſt deſumi niſi à materia: ergo nec indiuiduatio aut indiuidualis vnitas intra eandem ſpeciem. Probatur minor: differentia materialis non poteſt deſumi niſi à materia, ſicut formalis à forma: ſed differentia numerica ſeu hæcceitas qua res conſtituitur hæc numero diſtincta ab aliis intra eandem ſpeciem, eſt materialis, non verò formalis, cùm non faciat differre formaliter ſeu eſſentialiter: ergo, &c.

Noſtrum ergo fundamentum eſt iſtud, quòd vnitas indiuidualis, ſeu differentia qua res conſtituitur indiuiſa in ſe & diuiſa ab aliis intra eandem ſpeciem, eſt ſolùm vnitas aut differentia materialis; ſicut ſpecifica, formalis: & dicere aliter eſt abuti terminis aut contendere ſolùm de illis: atque ita ſicut differentia ſpecifica deſumitur à forma, eo quòd ſit differentia formalis; ita indiuidualis à materia eo quòd ſit differentia materialis. Ex quibus.

Inferes omnes & ſolas ſubſtantias corporeas, aut quæ materiam concernunt, eſſe numero multiplicabiles intra eandem ſpeciem; non verò pure ſpirituales, aut angelos. Quia principium numericæ multiplicationis eſt materia, nec poteſt eſſe aliud, vt oſtendimus: ergo omnes & ſolæ naturæ ſubſtantiales quæ conſtant materia, vel ſunt in materia (vt anima rationalis) poſſunt numero ſolo multiplicari: ſicut ipſa materia: aliis verò repugnabit talis multiplicatio; illa enim & eſſet numerica ſolùm ſeu intra eandem ſpeciem, vt ſupponitur; & non eſſet ſolum

numerica, ſed formalis, ſiquidem non cauſaretur per materiam, ſed per ipſam formam à materia tam actu quàm aptitudine ſeparatam, qualis eſt natura angelica. Vnde habes differentiam vnius angeli ab alio eſſe ſemper formalem & ſpecificam, vtpote petitam à forma ſeu formali principio; nec in eis differre gradum vel differentiam indiuidualem à ſpecifica, cùm ab eodem omnino principio ſumantur.

Secunda verò pars concluſionis, quod ſcilicet vnitas indiuidualis non ſumatur à materia nuda, ſed ſignata quantitate, probatur: quia per vnitatem aut differentiam indiuidualem debet conſtitui res omnino ſingularis & incommunicabilis (per remotionem illius communicabilitatis qua ſuperius communicatur ſuis inferioribus; non qua natura communicatur ſuppoſito, vt patet in humanitate Chriſti, quæ etſi ſingularis eſſet, communicata tamen eſt alteri vt ſuppoſito, nempe Verbo diuino:) ergo debet illa differentia deſumi à materia vt ſingulari & indiuidua ſeu incommunicabili: atqui ſecundum ſe præcisè non eſt talis, cùm de ſe ſit indifferens ad hoc vt ſit in hoc vel illo indiuiduo: ſed ſolùm inquantum ſigillata per hanc numero quantitatem, ſeu vt determinata ad illam potiùs quàm ad aliam, beneficio ſcilicet præcedentium diſpoſitionum eam determinantium: ergo non ſecundum ſe & nude ſumpta eſt principium radicale indiuiduationis, ſed vt prædicto modo ſigillata & determinata per quantitatem. Cuius ratio fundamentalis eſt, quia, vt poſteà videbimus, ipſa quantitas id habet quòd ſit ex ſe indiuidua, atque adeo quòd nihil poſſit intelligi indiuiduum, nec ſubinde vt principium indiuiduationis alterius, niſi per habitudinem ad ipſam, quando enim aliquid eſt tale per ſe, non poſſunt cætera eſſe aut intelligi talia niſi per ordinem ad illud aut per participationem ipſius.

Dices: accidens non poteſt indiuiduare ſubſtantiam, ergo materia non indiuiduatur per quantitatem. Diſtinguo: per modum principij intrinſeci,

concedo : per modum connotati extrinſeci , nego. Subſtantia ergo totalis indiuiduatur per materiam tanquam per principium intrinſecum , ipſa materia intrinſecè per connotationem talis numero quantitatis , extrinſecè per ipſam quantitatem connotatam. Vnde ſublatâ diuinitùs quantitate adhuc maneret indiuidua per ſolam illius connotationem quam ſemper ſeruaret. Habes ergo per materiam ſignatam quantitate, quàm diximus eſſe principium indiuiduationis , non intelligi materiam actu affectam quantitate , quaſi conflatum ex vtraque ſit principium illud ; ſed intelligi ipſam materiam vt ſolum connotantem quantitatem.

Obiicies primò : Principium indiuiduationis eſt hæcceitas ſeu differentia numerica , ſicut principium vnitatis ſpecificæ eſt differentias ipſa ſpecifica : ergo non eſt materia. Ita Scotus.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens : Principium immediatum & proximum, concedo : radicale, nego. Proximè ergo ſumitur indiuiduatio à tota rei entitate vt eſt hæc , ſed non eſt hæc niſi quatenus conſtat hac numero materiâ, & ideò radicaliter dicitur ſumi à materia.

Dices : Materia non eſt hæc & indiuidua niſi per ordinem ad hanc numero quantitatem ? ergo ſubſtantia dicetur radicaliter indiuiduari à quantitate.

Ad hoc iam patet ex dictis , ſubſtantiam indiuiduari radicaliter à quantitate , tanquam ab extrinſeco ſolùm connotato , à materia verò connotante tanquam à principio intrinſeco & ſubſtantiali.

Obiicies ſecundò cum Suare : Compoſitum eſt hoc numero ab hac numero forma : ergo non à materia. Probatur antecedens : quia differentia cùm ſit actus debet ſumi à forma.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens : Tanquam à primo & radicali principio , nego : tanquam à principio proximo aut minus remoto, concedo : itaque talis ſeruatur ordo , vt materia indiuiduetur per ordinem ad hanc numero quantitatem ; à materia

ſic indiuiduata & ſignata quantitate indiuiduetur forma; à forma, tota rei entitas à qua immediatè ſumitur hæcceitas. Ad probationem antecedentis reſpondeo differentiam eſſentialem, quæ eſt propriè actus, deſumi à forma vt à principio radicali; non verò differentiam indiuidualem quæ eſt materialis & potentialis.

Dico ſecundò accidentia ſumere ſuam indiuiduationem aut numericam vnitatem vel differentiam à ſubiecto formaliter ſumpto vt à principio radicali.

Probatur: quia generaliter loquendo differentia materialis deſumi debet à materia, per hoc enim diſcriminatur à formali quæ à forma petitur: atqui differentia indiuidualis intra eandem ſpeciem in omnibus tam accidentibus quàm ſubſtantiis eſt materialis; ſicut ſpecifica eſt formalis & eſſentialis: ergo deſumenda eſt à materia: ſed materia accidentium eſt ſubiectum ipſorum: ergo deſumenda eſt ab illo, non quidem materialiter ſumpto, cùm in eodem materialiter ſubiecto eſſe poſſint ſucceſſiuè plura accidentia ſolo numero diſtincta, putà plures calores in eadem aqua diuerſis vicibus calefactà; ſed ſumpto formaliter, prout ſubſtat eidem actioni agentis, eidemque tempori.

Dices: Hinc ſequitur non poſſe diuinitus accidens ſemel corruptum reproduci idem numero in alia parte temporis, quia ſubiectum connotans diuerſum tempus erit formaliter diuerſum in eſſe ſubiecti, ſubindéque conſtituet diuerſum numero accidens ab eo quod antea erat.

Reſpondeo negando ſequelam: quia quando ſubiectum diuinitus recipit aliquod accidens, quod antea habuerat & fuerat corruptum, non indiuiduat ipſum prout connotat hanc cui nunc ſubeſt partem temporis præſentis, ſed prout connotat illam in qua prius illud ſubſtentabat, ſubindéque vt idem numero ſubiectum formaliter. Ratio eſt, quia indiuiduat ipſum prout ſubeſt actioni diuinæ virtualiter continenti actionem creatam quâ fuerat productum, at-

que adeò prout connotat entitatem illam ſeu partem temporis (abſtrahendo à præſenti vel præterita) quâ actio illa creata menſurabatur antea. Et ex his omnibus.

Inferes implicare contradictionem duo accidentia ſolo numero diſtincta eſſe ſimul in eodem ſubiecto.

Probatur: quia eſſent duo, & non eſſent duo eſſent duo, vt ſupponitur; non eſſent verò, quia quæ habent idem principium indiuiduationis non ſunt duo, ſed vnum numero, cum indiuiduet ipſa per exhibitionem ſuæ propriæ entitatis, quæ manet vna vt ſuppono: ſed illa duo accidentia haberent idem principium indiuiduationis, nempè idem ſubiectum, & pro eodem tempore: ergo &c.

Obiicies: Duæ ſpecies repræſentantes duo alba omnino ſimilia diſtinguuntur ſolò numero, & ſimiliter duæ paternitates: atqui huiuſmodi poſſunt eſſe in eodem ſubiecto ſimul: ergo &c.

Ad has inſtantias reſponſum eſt aliàs: in libris de anima ad primam: in Logica ad ſecundam.

Obiicies ſecundò: idem ſubiectum poteſt ſimul recipere & indiuiduare plura accidentia ſpecie diſtincta: ergo & plura diſtincta ſolo numero.

Reſpondeo negando conſequentiam: quia in vno materiali ſubiecto dantur diuerſæ potentiæ ſaltem virtualiter diſtinctæ in ordine ad diuerſa ſpecie accidentia, vnica verò in ordine ad omnia accidentia vnius ſpeciei, quæ potentia ſolùm poteſt diuerſificari formaliter per connotationem diuerſi temporis, vnde pro eo tempore quo ſubſtat vni eſt veluti obſtructa alteri, nec poteſt illud ſimul admittere.

Obiicies tertiò: Accidens ſeparatum à ſubiecto eſt adhuc indiuiduum, vt patet in quantitate Euchariſtica: ergo non ſumit à ſubiecto indiuiduationem.

Reſpondeo diſtinguendo conſequentiam non ſumit à ſubiecto tanquam à principio proximo,

concedo, hoc enim modo indiuiduatur à ſua differentia indiuiduali ſeu à propria entitate prout eſt hæc: tanquam à principio radicali ſeu remoto, nego: quia differentia illa indiuidualis ſeu hæcceitas accidentis nihil aliud eſt quàm ordo tranſcendentalis ad hoc numero ſubiectum quem ordinem ſeruat etiam quando eſt ſeparatum. Vnde habes, aliter materiam eſſe principium radicale indiuiduationis ſubſtantiæ totalis; aliter ſubiectum, accidentium: illa enim eſt principium radicale intrinſecum, iſtud extrinſecum & connotatum ſolùm.

Quæres, vtrum quantitas ſubeat legem aliorum accidentium quoad indiuiduationem ſeu indiuidualem vnitatem.

Reſpondeo quantitatem poſſe dupliciter conſiderari: primò in ordine ad ſubiectum, quatenus ſcilicet eſt accidens extenſiuum ſubſtantiæ: ſecundò abſolutè, quatenus in ſeipſa eſt extenſa per partes ſolo ſitu ſeu poſitione differentes primò modò ſpectata indiuiduatur à proprio ſubiecto tanquam à principio radicali, ob rationem adductam in concluſione, & quia per hoc quod communicatur vni ſubiecto redditur omnino incommunicabilis aliis, ſubindéque ſingularis ſicut aliæ formæ accidentales. Secundò verò modo conſiderata habet hoc proprium quòd ſit indiuidua ex ſe ipſa, ſubindéque quòd per ordinem ad eam vt ad primam indiuiduationis radicem alia omnia indiuiduentur, vt iam ſuperiùs innuimus ex illo principio, quòd quando aliquid eſt tale per ſe primò, cætera non ſunt talia niſi per illud: cui accedit aliud cum eo coincidens, quòd ſcilicet primum in vnoquoque genere eſt cauſa ſeu radix cæterorum. Quòd verò quantitas ſit ex ſe ipſa & ex propria ratione indiuidua, in quo eſt punctus, facilè ſuadetur.

Illud enim ex ſe ipſo eſt indiuiduum, quod ex ſe diſtinguitur numero ab alio intra eandem ſpeciem: ſed vna quantitas ex ſe ipſa & abſque ordine ad ſubiectum intelligitur diſtincta ab alia eiuſdem ſpe-

ciei, ex ſolo nempe diuerſa ſituatione & poſitione partium, quæ eſt de ratione eius: ergo ex ſe ipſa eſt &c.

Deinde: Illud quod à ſe & ratione ſui habet diuidi in plura ſolo numero diſtincta, habet à ſe principium indiuiduationis & numericæ multiplicationis: atqui quantitas eo ipſo quòd habet plures partes eiuſdem rationis ſolo ſitu differentes, idque eſt omnino proprium ipſi, poteſt ratione ſui diuidi in illas quæ ſolo numero diſtinguuntur patet: ergo, &c.

SECTIO III.

De veritate.

TRiplex potiſſimum ſolet diſtingui veritas. Prima eſt veritas in eſſendo, ſeu veritas entis, quæ tranſcendentalis appellatur. Secunda eſt veritas in cognoſcendo, quæ dicitur veritas formalis. Tertia eſt veritas in ſignificando. De prima agemus ex profeſſo, quia eſt paſſio entis cum eo conuertibilis, dicturi aliquid de ſecunda, de tertia verò nihil dici poteſt quod non conſtet ex dictis in Logica part.2. vbi de ſignis & de propoſitione: nihil enim eſt aliud veritas in ſignificando quàm conformitas ſigni cum re ſignificata, quæ propriè loquendo non reperitur niſi in propoſitione vocali aut ſcripta, ſicut veritas formalis in propoſitione mentali iuxta inferiùs dicenda.

Dico primò veritatem tranſcendentalem conſiſtere in conformitate ſeu conuenientia quam vnaquæque res habet aut habere poteſt cum intellectu veram de illa exiſtimationem verúmque conceptum habente.

Probatur : quia quando aliquid eſt per ſe primò tale, cætera non ſunt talia niſi per habitudinem ad illud : atqui intellectus eſt per ſe primò verus (veritas enim propriiſſimè dicta eſt ſola veritas formalis quæ in ſolo intellectu reperitur, cùm nihil aliud ſit quàm conformitas intellectus cum re cognita :) ergo omnes aliæ res dicuntur veræ per habitudinem ſeu conformitatem ad intellectum verum de illis conceptum formantem.

Dico ſecundò veritatem tranſcendentalem conſiſtere primariò in conformitate rerum cum diuino intellectu eiúſque ideis ac exemplaribus, ſecundariò verò tantùm cum intellectu creato.

Probatur : Veritas tranſcendentalis conſiſtit in conformitate ad intellectum verum : ergo primariò conſiſtit in conformitate ad intellectum ſummè verum & infallibilem ille enim eſt menſura omnis veritatis : atqui intellectus diuinus eſt talis, non verò intellectus creatus qui falli poteſt : ergo res per ſe primò debent dici veræ per ordinem ad intellectum diuinum.

Ex quibus habes veritatem tranſcendentalem non addere aliquid reale enti, ſed tantùm exprimere realem perfectionem, illam nempe habitudinem tranſcendentalem quæ nomine entis non exprimitur: quod eſt addere enti, non propria additione, ſed maiori expreſſione.

Dico tertiò veritatem formalem eſſe conformitatem ſiue adæquationem intellectus cognoſcentis cum re cognita. Hanc definitionem omnes admittunt: ſed difficultas eſt in quanam operatione veritas formalis reperiatur. Pro cuius reſolutione.

Aduerte duplicem poſſe diſtingui conformitatem intellectus cum obiecto cognito, vnam materialem, alteram formalem. Conformitas materialis reperitur in ea operatione quæ attingit gradus aut rationes, quæ ſunt in obiecto, materialiter ſumptas : vt cùm apprehendo in homine rationem ſubſtantiæ, corporis, viuentis, &c. Conformitas verò formalis

eſt in ea operatione, quæ non ſolum attingit gradus aut rationes in obiecto exiſtentes, ſed etiam eo modo gradus illos attingit quo ſunt in obiecto, nempe vt vnitos inter ſe aut identificatos, ſi reipſa ei conueniant; vel diuiſos, ſi non conueniant: vt cùm iudico hominem eſſe animal rationale, hominem non eſſe lapidem. Hoc poſito.

Dico quartò veritatem formalem non reperiri in prima apprehenſione intellectus, & multò minus in operationibus ſenſuum; ſed in ſolo actu iudicij, ſeu in propoſitione duntaxat iudicatiua, quæ in nobis dicitur compoſitio vel diuiſio.

Probatur: quia veritas formalis eſt perfectiſſima adæquatio, ſeu formalis conformitas cognitionis cum re cognita: atqui, licet in prima apprehenſione, & in operationibus ſenſuum reperiatur conformitas & adæquatio materialis, quatenus apprehendunt rationes in obiecto exiſtentes materialiter ſumptas; non tamen in eis reperitur conformitas formalis, ſed in ſolo actu iudicij cuius proprium eſt attingere rationes in obiecto exiſtentes, non materialiter ſolùm, ſed formaliter eo modo quo in ipſo ſunt, nempe vniendo ſi ei conueniant, aut diuidendo & negando ſi non conueniant ergo in ſola ſecunda operatione intellectus reperitur veritas formalis; & ſi reperiatur etiam in tertia, id eſt in diſcurſu, hoc non eſt niſi quatenùs includit actum iudicij, non verò ratione illationis præcisè in quâ ſita eſt ratio formalis diſcurſus. In aliis verò operationibus intellectus aut ſenſuum ſolùm concedi poteſt reperiri veritatem materialem, quando apprehendunt obiecta vt in ſe ſunt materialiter, ſenſu explicato. Vnde conſequentur.

Infertur falſitatem formalem (quæ eſt quando attingimus rationes in obiecto alio modo quàm ſint, vniendo ſcilicet & attribuendo eis quæ non conueniunt, aut diuidendo & negando quæ conueniunt) huiuſmodi inquam falſitatem in ſola ſecunda operatione reperiri: quod facilè conſtat ex dictis de

veritate formali: & inſuper ex illo principio, quod oppoſita exercentur circa idem ſubiectum, atque adeò cùm veritas & falſitas formalis ſint oppoſitæ, & illa in ſola ſecunda operatione reperiatur, conſequens eſt vt hæc etiam in ea dumtaxat reperiri poſſit. In ſimplici verò apprehenſione aut in operationibus ſenſuum nequit reperiri falſitas formalis, ſicut nec veritas: vnde dici ſolet abſtrahentium aut apprehendentium non eſſe mendacium: ſed ad ſummum reperitur in eis falſitas materialis, quando ſcilicet non apprehendunt etiam materialiter res vt ſunt; quæ dici etiam poteſt falſitas occaſionis, quia dat intellectui anſam falſitatis formalis.

SECTIO IV.

De Bonitate.

DIco bonitatem nihil aliud eſſe quàm ipſammet entitatem & perfectionem rei vt conformem & congruam voluntati, atque ita nihil aliud dicere ſupra ens niſi relationem realem tranſcendentalem conuenientiæ cum voluntate aut appetitu.

Probatur: bonum idem eſt ac appetibile, vnde ſic à Philoſopho definitur, Bonum eſt quod omnia appetunt: ergo bonitas conſiſtit in appetibilitate rei: atqui appetibilitas nihil eſt aliud quàm ipſamet rei entitas & perfectio vt conformis & conueniens voluntati aut ipſi naturæ appetenti ſeu volenti: ergo. Vnde.

Inferes primò quòd vt res dicatur bona & appe-

tibilis, debet eſſe exiſtens, vel importare ordinem ad exiſtendum: poteſt tamen appeti per accidens ipſum non eſſe, vt de facto appetitur à multis maximè à damnatis qui vellent Deum non eſſe, & ſui etiam proprij eſſe deſtructionem optant, non per ſe, ſed per accidens tanquam aliquid liberatiuum à miſeriis.

Inferes ſecundò, malum phyſicum & in ordine naturæ nihil aliud eſſe quàm priuationem alicuius perfectionis & entitatis poſitiuæ. Dixi, phyſicum, quia malum morale importat aliquid poſitiuum, nempe ordinem tranſcendentalem ad obiectum diſſonum regulis morum, quamuis importet etiam priuationem debitæ rectitudinis ſeu conformitatis ad rationem & legem, vt magis explicabitur in Morali.

Inferes tertiò, bonitatem eſſe proprietatem tranſcendentalem entis. Probatur: quia proprietas tranſcendentalis eſt prædicatum quod conuertitur cum ente, & exprimit clariùs ac diſtinctius illud quod implicitè importatur in ente: atqui bonitas tranſcendentalis & eſt prædicatum reale quod conuertitur cum ente, nam omne ens reale eſt bonum & appetibile, imò & actu amatur à Deo, per cuius amorem producitur & conſeruatur, (vnde obiter habes bonitatem primariò & per ſe conſiſtere in conformitate cum voluntate diuina, ſicut de veritate diximus comparatione diuini intellectus) & explicitè importat conuenientiam & conformitatem cum voluntate, quæ implicitè tantum importatur nomine entis: ergo eſt proprietas tranſcendentalis.

Dices: Res mathematicæ non ſunt bonæ, vt ait Philoſophus, & tamen ſunt entia: ergo bonum non eſt proprietas conuertibilis cum ente.

Reſpondeo res mathematicas, nempe quantitatem continuam & diſcretam, non eſſe bonas reduplicatiuè prout à mathematicis ſcientiis conſide-

rantur, nempe ſub abſtractione ab exiſtentia, & ab ordine ad illam: eſſe tamen bonas abſolutè, quod ſufficit vt bonum ſit proprietas conuertibilis cum ente.

Inferes quartò, bonum rectè diuidi in vtile, honeſtum, & delectabile. Bonum vtile eſt id quod appetitur propter aliud, & tanquam medium ordinatum ad illud: honeſtum, quod eſt appetibile ratione ſui, vt virtus: delectabile, in quo quieſcit appetitus. Plura in Morali.

SECVNDA PARS METAPHYSICÆ.

De ente increato.

ENS reale vt ſic, cuius naturam & proprietates examinauimus, diuiditur in creatum & increatum. Nomine entis increati, de quo tanquam de principali primò loco agimus, intelligitur ens quoddam à ſe neceſſarium, ſeu ens aliquod primum, independens & imparticipatum; de cuius eſſentia ſit eſſe, quodque ſit aliorum omnium principium & cauſa, quem Deum appellamus. Nomine verò entis creati è contra intelligimus ens ab alio & contingens, ſeu dependens & participatum, de cuius eſſentia non ſit eſſe, ſed quod poſſit exiſtere & non exiſtere in rerum natura.

DISPVTATIO I.

De Deo ſecundum ſe.

SECTIO I.

An demonſtrari poſſit dari Deum.

DIco poſſe.

Primò ex ratione vnius primi entis independentis & imparticipati, ſic: Impoſſibile eſt omne ens eſſe ab alio: ergo datur aliquod ens è ſe primum & independens, ſeu imparticipatum, ſubindeque Deus, nihil enim aliud nomine Dei intelligimus. Probatur antecedens. Tribus tantùm modis concipi poteſt vnum ens eſſe ab alio. Primò, ſi dicatur totam collectionem omnium omnino entium adæquatè ſumptam eſſe ab aliquo ente extra illam collectionem, id eſt, non contento in tota collectione adæquatè ſumpta, & hoc eſt implicatorium, quia extra omne ens adæquatè ſumptum non poteſt eſſe aliud ens, aliàs non eſſet ſumptum omne ens. Secundò, ſi dicatur intra totam entium collectionem omne ens eſſe ab alio reciprocè & circulariter, id eſt, eſſe ab aliquo quod ſit etiam ab ipſo, ita vt quodlibet ens ſit cuiuſlibet entis cauſa & effectus; & hoc etiam implicat manifeſtè, iam enim idem

deberet habere eſſe priuſquam eſſet, & non habere: habere, vt produceret: non habere, vt produceretur & eſſe reciperet. Tertiò, ſi dicatur quodlibet ens de illa collectione ſigillatim ſumptum eſſe ab alio, producendo in infinitum æternitatem verſus, ita vt numquam veniatur ad vnum aliquid quod non ſit ab alio intra eandem collectionem; ipſam verò totam collectionem ſimul & adæquatè ſumptam non eſſe ab alio extra ipſam, ſed à ſe: Et hoc etiam, quod eſt atheorum reſponſum aut latibulum, efficaciſſimè impugnatur: quia ſi tota illa entium infinita collectio ſimul ſumpta poſſet dici non eſſe ab alio, ſed à ſe: vel id haberet ratione partium & entium quibus conſtat, & hoc non, cùm omnia illa ſigillatim ſint & petant eſſe ab alio, vt volunt: vel ratione infinitatis aut collectionis, & hoc etiam non, quia licet infinitati aut collectioni aliqua prædicata accidentalia conuenire poſſint diuerſa ab iis quæ partibus illius competunt accidentariò, non tamen diuerſa ab illis quæ competunt per ſe: ſicut patet in continuo, in quo multa quidem competunt partibus collectiuè ſumptis, quæ non conueniunt ipſis diuiſiuè, aut è contra; ſed tamen ea quæ conueniunt partibus ſecundum ſuam eſſentiam, competunt illis tam collectiuè quàm diuiſiuè ſumptis, vt eſſe quantas, eſſe accidentia, & huiuſmodi: ergo cùm ſingula de tota illa entium collectione adæquatè ſumpta ſint ab illo, & nullum à ſe, impoſſibile erit quod etiam tota collectio non ſit ab alio: cùm ergo id repugnet, ſiquidem extra ipſam prout omnia omnino entia includentem nihil eſt, dicendum intra ipſam eſſe aliquod ens quod non eſt ab alio, ſed à quo omnia alia ſunt.

Secundò, ex ratione vnius entis neceſſarij & ad eſſendum determinati, hoc modo: Datur à parte rei aliquod ens, de cuius ratione & eſſentia eſt quod ſit & exiſtat neceſſariò: ergo datur Deus. Conſequentia eſt indubitata, nomine enim Dei intelligitur ens illud neceſſarium quod non poteſt non eſſe,

cum

cum creaturæ omnes contingentes ſint poſſintque eſſe & non eſſe eo ipſo quod è nihilo ſunt. Antecedens verò probatur: Si non datur aliquod ens de cuius eſſentia ſit eſſe & exiſtere, ſequitur omnia omnino entia eſſe contingentia; quia omnia poterunt eſſe & non eſſe, in quo ſita eſt ratio contingentis: atqui implicat quod omnia entia ſint contingentia: ergo implicat quod non detur aliquod ens neceſſarium de cuius eſſentia ſit quod exiſtat actu & neceſſario. Probatur minor: Si omnia omnino entia eſſent contingentia, nullum planè de facto daretur à parte rei, quod ſic oſtendo: quia contingens ex ſua ratione eſſentiali habet tantùm quod ſit poſſibile, ſeu quod habeat potentiam ad exiſtendum, non verò habet à ſe quod actu exiſtat, alias non eſſet contingens ſed neceſſarium: ergo debet ab alio habere quod actu exiſtat à parte rei: atqui ſi omnia eſſent contingentia non daretur aliquid à quo res haberent eſſe: ergo: Probatur ſubſumptum: illud enim à quo res poſſibilis & contingens accipit eſſe, debet habere actu eſſe in ſeipſo: atqui ſi omnia eſſent poſſibilia & contingentia, non daretur aliquid quod haberet actu eſſe: ergo &c.

Dices, vnum ens contingens habere eſſe ab alio, iſtud ab altero priori, & ſic in infinitum.

Sed contra: quia tota collectio entium contingentium eſt contingens & ſecundùm ſe in potentia ſolùm ad exiſtendum, non verò habet eſſe ſeipſa, aliàs eſſet neceſſaria (quod dici nequit, cùm vt ſtatim dicebamus prædicata quæ per ſe & eſſentialiter conueniunt ſingulis de collectione, quale eſt in propoſitio eſſe contingens, conueniunt etiam omnibus ſimul & collectiuè ſumptis:) ergo eſt ab alio extra collectionem contingentium exiſtente, quod proinde eſt ens neceſſarium & Deus.

Tertiò idem ſuadetur ex ratione aut neceſſitate vnius primæ cauſæ & primi principij, hoc pacto: Prima cauſa eſt Deus. Maior eſt euidens: prima enim cauſa dicitur illa, quæ eſt independens ab omni alia

in cauſando, atque adeò & in eſſendo, cùm cauſare aut operari ſequatur ipſum eſſe: nihil autem aliud nomine Dei intelligimus quàm aliquod quod eſt à ſe, independens ab omni alio. Minor verò probatur: ſupponendo quod quamuis in cauſis per accidens ſubordinatis (id eſt quæ etſi præſupponant alias in eſſendo, vt filius partem, non tamen per ſe pendent ab eis in cauſando) dari poſſit proceſſus in infinitum, ſicut de facto daretur in leonibus generantibus & genitis v. g. ſi mundus fuiſſet ab æterno quoad ſucceſſiua; non tamen dari poteſt in cauſis per ſe ſubordinatis, hoc eſt in cauſando ab actuali ſuperiorum influxu dependentibus; tùm quia alias daretur ſimul infinita actu multitudo agentium, cùm non poſſent actu influere niſi exiſterent: tùm quia alias nunquam reipſa produceretur effectus, quia cauſa proxima à qua debet immediatè produci, nunquam agit niſi dependenter ab influxu cauſæ ſuperioris, nec illa niſi aliâ ſuperiori influente, ſi detur, & ſic influxum omnium cauſarum ſuperiorum medijs cauſis propinquioribus peruenire ad cauſam proximam, vt agat; nuſquam autem perueniret ad illam ſi daretur ibi proceſſus in infinitum, quia infinita illa multitudo cauſarum non eſſet pertranſibilis. Hoc poſito ſuadetur efficaciter præfata minor: quia non omnis cauſa dependet ab alia in cauſando, ſed deueniendum eſt ad vnam aliquam ab omni alia independentem, ſubindéque primam: ergo datur cauſa prima. Probatur antecedens modo dictis, quia in cauſis per ſe ſubordinatis ſeu ab influxu ſuperiorum in cauſando pendentibus non datur proceſſus in infinitum: ergo deueniendum eſt ad vnam aliquam non ſubordinatam ſed independentem.

Quartò, ex ratione aut neceſſitate vnius primi motoris, ſic: Omne quod mouetur, ab alio mouetur ſeu motum & influxum recipit, vt in 7. Phyſic. demonſtratum eſt: vel ergo illud aliud quod mouet, mouet immotum ab omni alio, vel motum: ſi immotum, erit primum mouens & immobile, quod

inquirimus: ſi verò motum, rurſum inquiro, vel id à quo mouetur mouet immotum, vel motum, & ſic deinceps: ſed in cauſis mouentibus per ſe ſubordinatis nequit dari proceſſus in infinitum: ergo deueniendum tandem erit ad vnum primum mouens, quod cætera moueat, ipſum verò à nullo alio moueatur.

Confirmatur: omne agens & mouens creatum debet ab alio præmoueri & recipere influxum quo conſtituatur in ratione principij actualis ſuæ operationis, vt aliàs probatum eſt: ergo vel illud aliud à quo præmouetur eſt primus pramotor immotus & immobilis, vel præmouetur rurſum ab alio: ſi primum, habetnr intentum: ſi ſecundum, recurrit argumentum quod non detur proceſſus in infinitum in mouentibus aut præmonentibus per ſe ſubordinatis.

Quintò ſpecialiter ratione ſumpta ex materia prima, ſic: Datur cauſa materiæ primæ, cum illa non ſit à ſe, aliàs eſſet Deus, quod ſtultum eſſet aſſerere, cum ſit quid imperfectiſſimum; præterquam quod haberetur dari Deum: atqui cauſa materiæ primæ non poteſt eſſe alia quàm Deus: ergo datur Deus. Probatur minor: quia materia prima cùm ſit primum ſubiectum, non poteſt fieri ex alio præſuppoſito ſubiecto, ſed ſolùm ex nihilo, atque adeò per creationem: ſed cauſa quæ producit per creationem eſt infinita vt infrà probabimus: ergo, &c. Ex his autem omnibus.

Infero & Dico ſecundo demonſtrari etiam poſſe Deum eſſe vnicum, nec plures admitti poſſe.

Probatur: quia demonſtratur non dari plura entia à ſe aut neceſſaria, ſiue plura prima principia, aut plures motores primos: ergo nec plures Deos, ſed vnicum. Antecedens oſtenditur: quia notum eſt quòd id quod eſt infinitè & abſolutè perfectum omni genere perfectionis, multiplicari non poteſt: ſed ens à ſe, aut id quod eſt primum omnium principium cauſa, & motor, eſt infinitè & abſolutè perfectum omni genere perfectionis; ergo non poteſt

multiplicari. Maior videtur euidens: quia ſi multiplicaretur, vnicuique eorum deeſſet aliqua perfectio, ea nimirum quæ foret in alio aut aliis, atque adeò nullum illorum eſſet infinitè perfectum omni genere perfectionis, iſtud enim careret perfectione illius, & illud iſtius. Minor verò non eſt minus clara: ſi enim non eſt eſſet tale, aliqua perfectio poſſibilis non eſſet in eo: at hoc impoſſibile eſt, tùm quia iam poſſet perfici ab alio, & ſic dependere ab illo, quòd repugnat enti à ſe; tùm quia eſt principium omnium imaginabilium perfectionum in aliis, ergo habet in ſe omnes imaginabiles perfectiones, quòd clariùs adhuc patebit ex dicendis.

Obiicies primò cum nominalibus: Si demonſtratiuè cognoſceremus Deum exiſtere, lumine naturali noſſemus quidditatem Dei: atqui hoc eſt falſum, cùm pro hoc ſtatu non poſſit Deus à nobis quidditatiuè cognoſci, ad hoc enim requiritur lumen gloriæ: ergo. Sequela maioris probatur: quia exiſtentia Dei eſt eius quidditas & eſſentia: ergo ſi cognoſcamus exiſtentiam, cognoſcemus quidditatem eius.

Confirmatur: De eodem non poteſt eſſe ſcientia & fides: datur fides quod Deus ſit: ergo de eo non datur ſcientia naturalis.

Ad obiectionem diſtinguo maiorem: Cognoſceremus quidditatem Dei, perfectè & intuitiuè, nego: imperfectè & abſtractiuè, ac illatiuè per creaturas, concedo: ad primum requiritur lumen gloriæ: ad ſecundum ſufficit lumen naturale & diſcurſus.

Ad Confirmationem reſpondeo in eo qui habet ſcientiam naturalem de huiuſmodi propoſitione, non dari fidem, quæ ſe extendat ad illam, de quo vide dicta in fine Logicæ.

Obiicies ſecundò cum Atheis: Si daretur vnum ſupremum numen omnis entis creati principium, prouideret rebus creatis: ſed non prouidet: ergo. Probatur minor: quia ad boni gubernatoris prouidentiam ſpectat non permittere vt improbitas inua-

leſcat, vt boni à malis opprimantur, vt malis ſit benè, bonis malè; ſed illos coërcere pœnis vt reſipiſcant, hos præmiis afficere vt virtutem magis & magis colant: at oppoſitum videmus: ergo.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem reſpondeo illud ſpectare ad prouidentiam gubernatoris politici, at non ſupremi & diuini, imò oppoſitum: eius enim eſt ſinere vt res omnes ſuis inſtructæ facultatibus, iis vtantur, ſuiſque ferantur motibus ad certum tempus: idque ob multas cauſas. Primò, vt ſponte feramur ad virtutem, non coacti, virtus enim coacta ſeruitus eſt, non virtus. Secundò, quia contra dignitatem præmij æterni eſſet ſi homines ad illud proſequendum compellerentur. Tertiò, quia æterna ſupplicia aut præmia bonis & malis propoſita ſufficiunt ad eos ab improbitate deterrendos, aut in ſtudio virtutis fouendos. Quartò, quia per malitiam iniquorũ excitatur & apparet illuſtrior virtus iuſtorum, datúrque occaſio maioris meriti & coronæ. Quintò, ex hac prouidentia diſcimus non eſſe magnipendenda illa temporalia, quippe bonis & malis communia: imò his magnis conceſſa, in præmium ſcilicet alicuius boni operis, quod inter tot vitia & peccata veluti quandam parentheſim interponunt nonnunquam: ſicut bonis inferuntur temporales pœnæ in punitionem leuiorum, ſine quibus hæc vita non degitur, culparum. Denique hæc prouidentiæ ratio maxime commendat diuinam benignitatem, quæ dum lentè procedit ad vindictam expectat peccatores ad pœnitentiam.

Dices, boni prouiſoris eſſe tantam rerum perturbationem quam cernimus in mundo non permittere.

Reſpondeo ad perfectiſſimam prouidentiam ſpectare perturbationem hanc quaſi momentaneam permittere æterna quiete poſtea permutandam.

SECTIO I.

De diuinis perfectionibus & attributis.

POſito illo fundamento quod detur ens aliquod a ſe & eſſentialiter exiſtens, quod appellamus ens per eſſentiam, id eſt, de cuius eſſentia eſt quod ſit, iuxta illud Exodi 3. Ego ſum qui ſum: hoc inquam poſito tanquam lumine naturali noto ex eo quòd impoſſibile ſit omne ens eſſe ab alio aut contingens, vt duobus primis argumentis demonſtrauimus, facilè eſt ex vno illo principio omnia alia deducere quæ de Deo eiuſque perfectionibus aut attributis dici poſſunt; inde enim.

Sequitur primò, Deus ſeu ens per eſſentiam eſſe actum puriſſimum, cùm eius eſſentia ſit ſuum eſſe, ſeu ipſa exiſtentia quæ de ſe eſt puriſſima actualitas. Dico, de ſe, quia in creaturis quæ non ſunt ſuum eſſe, eſt potentialis per ordinem ad ipſam eſſentiam & ad totum quod cum ipſa componit.

Secundò, eſſe ens ſpirituale & intellectuale ac in ſummo gradu intellectualitatis: quia ſpiritualitas & intellectualitas conſiſtit in abſtractione & eleuatione ſupra materiam & potentialitatem, quâ caret actus puriſſimus & ens per eſſentiam.

Tertiò, eſſe ſimpliciſſimum, ſeu carere omni omnino compoſitione nedum phyſicâ ex materia & forma, ſed etiam metaphyſica ex eſſentia & exiſtentia, ex natura & ſuppoſito; imò & logica ex genere & differentia; & à fortiori ex ſubiecto, & accidente: quia ibi eſt potentialitas, vel realis, vel rationis quæ in reali fundari debet.

Quartò, eſſe immenſum & vbique præſentem,

ita vt nullus dari poſſit locus in quo non ſit : quia, vt aliàs probatum eſt, agens debet eſſe immediatum paſſo, vel per ſuam ſubſtantiam, vel per ſuam virtutem: ens autem per eſſentiam eſt cauſa omnium efficiens, omniáque ſua actione continuò conſeruans, vt videbimus ; & aliunde ſua ſubſtantia eſt ſua virtus & ſua operatio : ergo.

Quintò, eſſe immobilem ſeu immutabilem : quia iam aliquid reciperet vel amitteret, & ſic eſſet quid potentiale ad illud, & non actus puriſſimus : & vlterius, ab alio dependeret, cùm idem non moueatur aut mutetur à ſeipſo.

Sextò, eſſe æternum : quia quod eſt omninò immutabile eſt æternum, ſiquidem non poteſt non eſſe: Deus autem ſeu ens per eſſentiam eſt omninò immutabile, vt vidimus : ergo.

Septimò, eſſe infinitum in ratione entis, ſubindeque omnes omninò perfectiones ſub ente communiſſimo imaginabiles continere, vel formaliter vt perfectiones ſimpliciter ſimplices, vel eminenter ſolùm vt perfectiones ſecundum quid: probatur : per infinitum enim in ratione entis intelligimus ens non limitandum ad vllam perfectionem ſub tota entis latitudine contentam, ſicut animal eſt limitatum ad perfectionem ſentiendi, homo ad perfectionem ratiocinandi, & ſic de aliis : ſed ens per eſſentiam, ſeu, quod in idem redit, eſſe quod eſt ipſumet eſſentia, non eſt limitatum ad vllam prorſus perfectionem : ergo. Probatur minor : quia eſſe quod eſt ipſamet eſſentia caret omni limitatiuo, tam materiali, quod eſt ſubiectum, cùm non recipiatur in ipſa eſſentia cum qua eſt idem quàm formali quod eſt differentia, cùm eſſe ſit vltima actualitas, ſubindéque non ſit determinabile aut limitabile per vlteriorem differentiam, ſicut ratio animalis limitatur in homine per rationalitatem, & rationalitas per Petreitatem : ergo ad nullam prorſus perfectionem limitatur, ſed omnes omninò perfectiones includit, eas quidem formaliter quæ nullam in ſuo eſſentiali

conceptu includunt imperfectionem, ſeu quæ perfectiones alias non excludunt, vt intellectus, ſapientia, ſcientia, voluntas, liberalitas, miſericordia, iuſtitia & ſimiles, quæ ideò dicuntur perfectiones ſimpliciter ſimplices; aliàs verò eminenter ſolùm, quæ ſcilicet imperfectionem inuoluunt, ſiue quæ excludunt maiores perfectiones, vt equinitas rationalitatem, rationalitas ſimplicem intelligentiam (qualis eſt in Angelis) quæ propterea dicuntur perfectiones ſecundùm quid, quia non ſunt meliores ipſæ quàm non ipſæ generaliter loquendo, ſicut perfectiones ſimpliciter ſimplices; eas, inquam, ſolùm eminenter includit & ſublatis imperfectionibus, non verò formaliter; aliàs includeret imperfectionem.

Octauò, eſſe vnum & vnicum: quia aliàs non includeret omnem perfectionem imaginabilem, vt ſuprà arguebamus: & quia ens per eſſentiam eſt eſſentialiter ſingulare, cum ſingularitas antecedat aut concipiatur antecedere exiſtentiam, quæ eſt vltima ratio & actualitas.

Nonò, eſſe verum & in ſummo gradu veritatis & intelligibilitatis: quia eſt ſummè & infinitè actualis & immaterialis, in quo intelligibilitas conſiſtit, ſicut & veritas in conformitate cum intellectu, quæ in ente per eſſentiam ſeu Deo eſt ſumma cum ſit identitas ipſius cum proprio intellectu, qui eſt menſura omnis veritatis. Vnde etiam infertur Deum non eſſe à nobis viſibilem ſeu perfectè cognoſcibilem vt eſt in ſe pro hoc ſtatu, nec etiam in ſtatu ſeparationis niſi beneficio luminis gloriæ: quia ob ſuam ſummam actualitatem & intelligibilitatem eſt obiectum improportionatum lumini naturali noſtri intellectus.

Decimò, eſſe bonum & ſummum bonum: quia ens perfectiſſimum omni genere perfectionis eſt ſummè congruum voluntati, in quo bonitas conſiſtit; quæ in Deo eſt ſumma, quia eſt obiectum ita congruum & conforme ſuæ voluntati vt ſit idem cum ipſa.

DISPVTATIO II.

De Deo vt Principio creaturarum.

EX illo principio, quod detur ens per eſſentiam, non ſolùm infertur illud eſſe in ſe actum puriſſimum, immaterialiſſimum, ſimpliſſimum, & huiuſmodi; ſed etiam eſſe principium aliorum omnium, vt videbimus: vnde ſit.

SECTIO I.

An Deus ſit principium efficiens omnium creaturarum.

DIco & infero primò, Deum eſſe rerum omnium, quæ ſunt extra ipſum, cauſam & principium effectiuum: quia ens ab alio ſeu per participationem & contingens debet eſſe ab ente per eſſentiam & neceſſariò: ſed omne quod eſt extra Deum eſt ens ab alio & per participationem ac contingens; cum ens à ſe, ens per eſſentiam, & neceſſarium non poſſit eſſe niſi vnum, vt vidimus: ergo debet omne aliud eſſe & produci ab ipſo.

Secundò, Deum habere pro obiecto formali ſuæ potentiæ ens participatum & contingens quà tale in

tota ſua vniuerſalitate : quia totum illud attingitur effectiuè & dependet ab ente per eſſentiam, vt oſtenſum eſt : & quia vniuerſaliſſimæ cauſæ debet per ſe primò correſpondere effectus omnium vniuerſaliſſimus : ens per eſſentiam & Deus eſt cauſa vniuerſaliſſima : ergo proprius eius effectus debet eſſe omnium vniuerſaliſſimus : huiuſmodi eſt ens participatum vt ſic in tota ſua ampliſſima latitudine : ergo. Quod non eſt ſic intelligendum quaſi omnipotentia debeat producere illud ens vt ſic abſtractum (hoc enim impoſſibile eſt, cùm omnis productio terminetur ad ſingulare, ſicut terminatur ad eſſe quod eſt ſingularium) ſed quòd proprium eius ſit attingere effectum ſub ratione vniuerſaliſſima entis participati, & non ſub ratione talis. Et in hoc differt à cauſa creata, ignis enim v. g. producit ignem non ſub ratione ignis vt ſic (aliàs poſſet ſeipſum producere, cùm ſub illa ratione vniuerſali contineatur ; ſicut intellectus ſeipſum intelligit eo quod ſub ente vt ſic quod eſt eius obiectum, continetur : quod diligentiſſimè nota pro omnibus cauſis proportionaliter) ſed ſub ratione talis, & ſic de aliis.

Tertiò Deo conuenire quòd creet ; quia enti per eſſentiam conuenit producere quidquid eſt extra ipſum, obiectúmque potentiæ eius eſt ens participatum vt ſic : ergo conuenit ipſi efficere res quoad omnia, nullum præſupponendo ſubiectum neceſſariò è quo illos educat : atqui creare nihil aliud eſt quàm efficere rem nullo præſuppoſito ſubiecto, & quoad omnia : ergo &c.

Quartò, Deo conuenire quod res creatas continuò conſeruet : quia ens per eſſentiam eſt eſſentialiter cauſa entis per participationem : ergo iſtud eſſentialiter & indiſpenſabiliter dependet ab illo, ſubindéque non ſolùm in fieri, ſed etiam in facto eſſe & conſeruari. Declaratur exemplo actionum vitalium, quæ cùm eſſentialiter dependeant in fieri à principio vitæ coniuncto, ſeu ab intrinſeco principio eius in quo ſunt (in hoc enim differunt ab aliis) ſicut

implicat illas produci ſine principio illo, ita & conſeruari: at verò quia filius non pendet eſſentialiter à patre in fieri, potuit enim produci immediatè à Deo; ita nec in conſeruari: ergo è contra ſicut in fieri pendet eſſentialiter ab actuali influxu Dei, ita & in conſeruari.

Quintò, poſſe Deum res annihilare: quia liberè eas conſeruat influendo illis continuo eſſe: ergo poſſet ſubtrahere aut ſuſpendere huiuſmodi concurſum conſeruantem, ſicque in nullum redirent.

Sextò, res dependere à concurſu Dei non ſolùm quoad ſubſtantiam & virtutem, ſed etiam quoad ſuas operationes, cum omnia hæc ſint entia per participationem.

Septimò, illum concurſum debere eſſe nedum ſimultaneum quo attingitur ipſa operatio, ſed etiam præuium in ipſa cauſa receptum, quo conſtituatur in actu ſecundo ad eliciendam huiuſmodi operationem, cùm id etiam ſit quid participatum.

Octauo, Deum agere per intellectum & voluntatem, ita vt eius potentia ad extra non ſit alia ab illis: quia cum ens per eſſentiam ſit natura intellectualis vtpote eleuatiſſima ſuprà materiam, eius omnes potentiæ debent eſſe intellectuales, quæ non ſunt aliæ quàm intellectus & voluntas. Vide dicta in fine tractatus de Anima.

SECTIO II.

Vtrùm creare ſit proprium Deo, ita vt id nequeat creaturæ competere.

DIco primò: Solus Deus poteſt creare vt agens principale, nec poteſt creaturæ communicare virtutem creandi per modum cauſæ principalis.

Probatur: Cauſa inferior numquàm poteſt attingere in ratione agentis principalis proprium effectum cauſæ ſuperioris, aliàs iam non eſſent cauſa ſuperior & inferior ſed eiuſdem ordinis: atqui effectus creationis eſt proprius omnipotentiæ Dei: ergo à nulla cauſa inferiori aut virtute communicata creaturæ poteſt principaliter attingi, ſed à Solo Deo. Probatur minor: Effectus proprius omnipotentiæ diuinæ eſt ens participatum quoad omnia quæ importat etiam quoad ſubiectum, ſubindéque ens è nihilo: atqui ille eſt effectus creationis, quæ nihil aliud eſt quàm productio rei è nihilo, ſeu è nullo præſuppoſito ſubiecto: ergo &c.

Probatur ſecundò: Ad creationem requiritur virtus actiua infinita; ſed hæc ſoli Deo eſt propria, & nulli creaturæ communicabilis, vt patet ex dictis de repugnantia infiniti creati: ergo nulli creaturæ communicari poteſt virtus creandi. Probatur maior: quia virtus tanto debet eſſe maior, quanto magis terminus à quo actionis recedit & elongatur à termino ad quem illius: ſed terminus à quo creationis in infinitum recedit & elongatur à termino ad quem illius, quia nihil ſeu non ens ſimpliciter, cùm deficiat à tota entis latitudine quæ eſt infinita, infinitè

diſtat ab ente: ergo ad producendum ens è nihilo requiritur virtus infinita.

Confirmatur: Tantò maior debet eſſe virtus quantò minor eſt proportio potentiæ ſeu ſubiecti ad actum vel effectum ab eo educendum vt conſtat inductione; tantò enim efficacior debet eſſe virtus calefactiua, quantò ſubiectum eſt incapacius vt ab eo calor educatur: ergo vbi nulla fuerit proportio potentiæ ad effectum ab eo extrahendum, infinita requiretur virtus: atqui in creatione nulla omnino eſt proportio, cùm nihil ſit nulláque potentia ex quo educatur effectus: ergo neceſſaria eſt virtus infinita ad creandum.

Dico ſecundò implicare etiam creaturam aliquam aſſumi à Deo vt inſtrumentum phyſicum ad creandum. Dixi, phyſicum: quia creaturam concurrere ad creationem tanquam inſtrumentum morale non repugnat; vt quòd aliquis Sanctus impetret à Deo creationem alicuius animæ rationalis.

Probatur concluſio: quia vt aliàs oſtendimus, inſtrumentum phyſicum debet recipere à principali agente virtutem aliquam tranſeuntem & vialem quâ eleuetur ad effectum eius attingendum: atqui nulla creatura poteſt à Deo recipere virtutem ad attingendum effectum creationis: ergo non poteſt aſſumi, &c. Probatur minor: quia virtus creatiua qualiſcunque tandem ſit debet eſſe infinita, vt probatum eſt ratione ſecunda præcedentis concluſionis, quæ hanc etiam omnino conuincit.

Obiicies primò: Ad effectum finitum non requiritur virtus infinita; ſed effectus creationis eſt finitus: ergo ad illum ſufficit virtus finita; quæ ſubinde communicari poterit creaturæ ad minùs vt inſtrumento.

Confirmatur: Conſecratio corporis Chriſti, productio gratiæ, & iuſtificatio impij ſunt opera longè excellentiora quàm opus creationis: atqui poteſt creatura aſſumi vt inſtrumentum phyſicum ad illa, hoc enim modo concurrunt miniſtri & ſacramenta: ergo.

Ad obiectionem reſpondeo diſtinguendo maiorem: ad effectum finitum è nihilo educendum, nego; quia vt oſtendimus tanto maior debet eſſe virtus quanto maior eſt diſtantia termini à quo à termino ad quem, quæ in propoſito eſt infinita: Ad effectum ex alio præſuppoſito producendum, concedo; quæ diſtinctio applicanda eſt minori. Vnde maior vel minor perfectio aut efficacia virtutis non debet ſolum attendi ex termino qui fit, ſed etiam ex modo quo fit, qui modus in creatione eſt infinitus, quia terminus ad quem fit independenter à ſubiecto, & ex termino à quo infinitè diſtante à termino ad quem.

Ad confirmationem diſtinguo etiam maiorem. Sunt opera excellentiora quantùm ad ſubſtantiam operis, concedo; quantùm ad modum quo fiunt, nego: fiunt enim ex aliquo præſuppoſito, opus vero creationis ex nihilo, qui eſt modus fiendi infinitus.

Inſtabis: ens quod producitur per creationem, putà angelus, non diſtat infinitè à nihilo: ergo nulla ſolutio. Probatur antecedens: Tantum diſtat à nihilo, quantùm participat de ente: ſed finitè participat naturam entis: ergo finitè tantum diſtat à nihilo.

Reſpondeo negando antecedens: ad probationem nego maiorem: ſicut enim ſi frigus eſſet infinitum, calor etiam exiguus infinitè diſtaret à frigore; ita quia nihil eſt negatio entis ſecundum totam ſuam latitudinem, quæ infinita eſt, atque adeo ex parte ſui eſt infinitum negatiuum, conſequenter ens etiam finitum infinitè diſtat à nihilo: vnde diſtantia inter nihil & ens finitum eſt infinita ex vna tantùm parte, inter nihil verò & ens infinitum ſeu Deum eſt infinita ex vtraque parte.

Obiicies ſecundò: poteſt creatura concurrere ad annihilationem: ergo & ad creationem, cum vtraque ſit æque propria Deo.

Reſpondeo negando antecedens: annihilatio enim non eſt actio, ſed potius ſubtractio actionis ſeu

concurſus quo Deus res conſeruat ſubindéque ipſe ſolus poteſt eum ſuſpendere, ſicque rem annihilare.

Inſtabis: fieri poteſt vt agente naturali deſtruente formam alicuius compoſiti Deus nolit concurrere ad introductionem nouæ formæ, & ſic materia prima annihilabitur, vtpote quæ ſine forma perſeuerare nequeat: atqui tunc agens illud naturale concurret ad annihilationem: ergo, &c.

Reſpondeo negando minorem: illa enim annihilatio materiæ non ſequetur ex vi actionis agentis naturalis, quæ potius exigeret conſeruationem materiæ vt ab ea formam quam intendit, educere poſſit; ſed ex ſola libera ſuſpenſione concurſus quo Deus materiam conſeruabat.

Dices: Sacerdos conſecrans annihilat ſubſtantiam panis.

Reſpondeo negando hoc, ſed conuertit.

TERTIA PARS METAPHYSICÆ.

De ente creato.

IAM diximus ſuprà quid nomine entis creati intelligatur; intelligitur enim ens ab alio, ens participatum & contingens, ſiue ſit à Deo immediatè per creationem, ſiue media cauſa inferiori & ſubiectum præſupponente cum qua concurrit.

DISPVTATIO I.

De eſſentia & exiſtentia in rebus creatis.

SECTIO VNICA.

Quomodo diſtinguantur in rebus creatis eßentia & exiſtentia.

ENS & eſſentia diſtinguuntur ſolùm vt concretum & abſtractum (quæ in tranſcendentibus ſunt omninò realiter idem & de ſe inuicem prædicantur modo in Logica explicato :) vnde vtrumque definitur, id cuius actus eſt eſſe, quod propriè de ſolis creatis debet intelligi ; in Deo enim eſſentia eſt ipſummet ſuum eſſe, non verò potentia ad illud, ſicut eſſentia creata. De hac ergo ſola & de exiſtentia creata tam ſubſtantiali quàm accidentali procedit quæſtio, pro cuius reſolutione.

Nota exiſtentiam eſſe vltimam actualitatem rei qua conſtituitur in rerum natura. Quæ deſcriptio analogicè conuenit exiſtentiæ diuinæ & creatæ. Dicitur verò exiſtentia, quaſi extra cauſas ſiſtentia, ſumptâ etymologia ab exiſtentia rei creatæ quæ non ponitur in rerum natura niſi per cauſas. Vnde exiſtentia creata in particulari definitur vltima actualitas qua

res ponitur & ſiſtitur extra ſuas omnes cauſas. His prælibatis.

Dico exiſtentiam in omnibus rebus creatis diſtingui realiter ab eſſentia. Eſt contra Suarem & plures alios.

Probatur primò efficaciſſimo argumento ex myſterio Incarnationis deſumpto: exiſtentia rei creatæ ſeparatur realiter ab eius eſſentia: ergo diſtinguitur ab illa. Probatur antecedens: quia exiſtentia humanitatis Chriſti fuit realiter ſeparata ab illa ſeu impedita quo minùs reſultaret: ergo. Antecedens probatur: ſi exiſtentia humanitatis non eſſet realiter ſeparata ab eſſentia, ſequeretur humanitatem Chriſti non habere vnam tantùm Verbi diuini exiſtentiam ſed etiam propriam: conſequens eſt falſum, & vt nonnulli volunt parùm tutum: ergo. Sequela maioris eſt euidens, & libenter admittitur ab aduerſariis. Minor verò probatur primò ex ſexta Synodo generali Actione prima in epiſtola Sophronij Epiſcopi Hieroſolymitani ab omnibus Patribus Concilij approbata, vbi dicitur de humanitate Chriſti: in illo (ſcilicet diuino Verbo) & non in ſemetipſa habuit exiſtentiam vnam. Secundò ratione: ſi in Chriſto eſſet duplex exiſtentia, Beata Virgo non propriè diceretur mater Dei, nec eſſet: conſequens eſt hæreticum: ergo habet vnicam tantùm exiſtentiam. Sequela maioris probatur: vt Beata Virgo verè & propriè dicatur mater Dei debet terminus actionis ſeu concurſus Beatæ Virginis eſſe homo Deus: ſed ſi humanitas Chriſti haberet propriam exiſtentiam creatam, terminus concurſus ſeu actionis generatiuæ qua Beata Virgo cooperante Spiritu ſancto humanitatem attigit non erit homo Deus, ſed homo duntaxat: ergo. Minor probatur: quia illud non eſt formaliter terminus cauſalitatis Beatæ Virginis ante quod tota cauſalitas Beatæ Virginis intelligitur completè terminata: ſed ſi humanitas Chriſti habet propriam exiſtentiam creatam, cauſalitas Beatæ Virginis intelligetur totaliter

terminata ante aduentum ſuppoſiti diuini ex quo & ex humanitate conſtituitur homo Deus: ergo. Probatur minor: cauſalitas cuiuſcunque cauſæ concipitur totaliter terminata quando effectus eius habet exiſtentiam, cùm exiſtentia nihil aliud ſit quàm vltima actualitas, vltima perfectiò, & vltimum complementum quod res producta debet à cauſis intra propriam lineam ſuæ naturæ recipere: atqui antequam adueniat ſuppoſitum diuinum, humanitas Chriſti intelligitur habere exiſtentiam creatam, iuxta aduerſarios: ergo ante illud cauſalitas Beatæ Virginis concipitur totaliter terminata. Vnde ſicut ſi humanitas Petri aſſumeretur modo ab aliqua perſona diuina, mater quæ genuit Petrum non diceretur nec eſſet mater Dei, quia eius cauſalitas fuiſſet totaliter terminata ad Petrum exiſtentem, cuius humanitas per accidens deinde foret aſſumpta à perſona diuina; ita dicendum eſſet de Beata Virgine.

Reſpondet Suares quod licet in illo priori humanitas habeat propriam exiſtentiam creatam; non tamen concurſus Beatæ Virginis intelligitur totaliter terminatus donec huiuſmodi exiſtentiæ humanitatis adueniat ſubſiſtentia aut perſonalitas Verbi diuini loco creatæ ſubſiſtentiæ quæ ex vi concurſus Beatæ Virginis nata erit ſequi.

Sed contra: quia exiſtentia eſt vltima actualitas, vltima perfectio quâ res totaliter & completè ſiſtitur extra ſuas omnes cauſas, ita vt nullum aliud complementum intra propriam lineam ſubſtantiæ (loquendo de exiſtentia ſubſtantiæ) debeat ab illis vlteriùs recipere; id enim nomine exiſtentiæ intelligitur: ergo in illo priori quo humanitas intelligitur habere propriam exiſtentiam, debet etiam intelligi habere propriam ſubſiſtentiam, non verò eam vlteriùs expectare à ſuis cauſis, ex quo infertur humanitatem Chriſti habere etiam ſubſiſtentiam aut perſonalitatem creatam iuxta aduerſarios, quod tamen non admittunt, quia eſt hæreticum. Falluntur

ergo dum exiſtimant ſubſiſtentiam eſſe aliquem modum qui ſubſequatur exiſtentiam ; hoc enim eſt tollere propriam rationem exiſtentiæ quæ eſt vltima ãctualitas rei ſeu vltimum complementum, quod non eſſet ſi ſubſiſtentia, quæ eſt etiam complementum, ſubſequeretur. Ex quo.

Probatur ſecundò : quia, vt diſputatione ſequenti oſtendemus, ſubſiſtentia & exiſtentia ſubſtantialis ſunt realiter idem : atqui ſubſiſtentia realiter diſtinguitur ab eſſentia, vt eſt certum apud omnes Theologos, imò de fide cùm ſeparata ſit ab humanitate Chriſti, & loco eius ſubſtituta perſonalitas ſeu ſubſiſtentia Verbi diuini : ergo & exiſtentia realiter diſtinguitur ab eſſentia. Maior, in qua eſt tota difficultas, oſtendetur infrà.

Probatur tertiò : Nulla eſſentia creata eſt realiter ſuum eſſe : ergo realiter diſtinguitur ab illo. Conſeſequentia eſt euidens : antecedens verò prætèrquàm quòd communiter receptum videtur à Sanctis Patribus & Theologis, qui cenſent id proprium eſſe Dei, quod eius eſſentia ſit ſuum eſſe, ſic oſtenditur. Nulla potentia realis eſt realiter ſuus actus, ſeu idem cum actu quem recipit realiter : atqui eſſentia eſt potentia reſpectu exiſtentiæ quam recipit, vt conſtat ex propria definitione eſſentiæ, quæ dicitur id cuius actus eſt eſſe : ergo eſſentia creata non eſt realiter ſua exiſtentia. Maior eſt euidens : actus enim qui recipitur in potentia, dependet realiter ab illa tanquam à cauſa materiali : ergo realiter diſtinguitur ab illa, cùm idem nequeat à ſeipſo realiter pendere. Minor verò ex ipſa propria definitione eſſentiæ probata relinquitur : & inſuper ſuadetur : quia ſi eſſe creaturæ non eſſet actus realiter receptus in eſſentia, ſed identificatus cum illa, eſſet infinitum & illimitatum ſicut eſſe ipſius Dei, ſiquidem careret omni limitatiuo, tam materiali quod eſt ſubiectum, per quod limitatur forma recepta, quàm formali quod eſt differentia quæ limitat gradum ſuperiorem ; exiſtentia autem cùm ſit vltima actualitas non contrahitur

aut limitatur per actualitatem aut differentiam vlteriorem.

Maneat ergo exiſtentiam realiter diſtingui ab eſſentia, non diſtinctione maiori, cùm non ſe habeant ſicut res & res; ſed minori, quia exiſtentia eſt veluti modus aut terminus & complementum vltimum eſſentiæ, & pertinet ad lineam eius: vnde exiſtentia ſubſtantiæ eſt quid ſubſtantiale, & licet dicatur accidens logicum, quia contingenter prædicatur de re, non tamen eſt accidens phyſicum & prædicamentale, cùm ad illud indirectè pertineat prædicamentum in quo ponitur directè eſſentia.

Obiicies primò: exiſtentia nihil aliud eſt quàm ipſamet entitas poſitiua eſſentiæ vt conſtituta à parte rei & extra cauſas. ergo non diſtinguitur realiter ab eſſentia.

Reſpondeo conceſſo antecedente negando conſequentiam: quia in hoc quod dicitur entitas poſitiua extra omnes cauſas conſtat inuoluitur ipſamet exiſtentia, quæ eſt vltima actualitas per quam res conſtituitur completè extra ſuas cauſas: atque adeo non diſtinguitur ſaltem adæquatè ab eſſentia cum illa reduplicatione ſumpta, benè autem ab entitate etiam poſitiua illius abſolutè ſumpta, ſicut albedo non diſtinguitur adæquatè à pariete inquantum albo, bene tamen ab ipſo abſolutè ſumpto.

Inſtabis: hoc ipſo quod intelligitur entitas poſitiua eſſentiæ finito exercitio cauſarum à quibus dependet, intelligitur exiſtens à parte rei, ſemota quacumque entitate aut realitate diſtincta: ergo exiſtentia non eſt aliqua realitas diſtincta ab entitate eſſentiæ.

Reſpondeo ad antecedens, illud implicare in adiecto, ſeu contradictionem inuoluere: hoc enim ipſo quod finitæ & terminatæ intelliguntur cauſalitates, intelligi debet terminus vltimus earum, qui eſt actualitas exiſtentiæ, atque adeo implicat intelligi poſitiuam entitatem rei extra cauſas conſtitutam ſine aliqua realitate ſuperaddita, cùm nequeat in-

telligi ſine exiſtentia quam efficaciter oſtendimus eſſe realitatem ſeu actualitatem ab eſſentia diſtinctam. Vnde proponenti huiuſmodi argumentum reſpondendum eſt, quod huiuſmodi entitas & intelligeretur exiſtens, quia ſupponitur poſita extra cauſas; & non intelligeretur exiſtens, quia intelligitur ſine exiſtentia ſi concipiatur abſque actualitate ſuperaddita.

Obiicies ſecundò: Exiſtentia eſt id per quod res conſtituitur in ratione entis actualis & extra nihil, aut meram poſſibilitatem: atqui per ſuam propriam entitatem & eſſentiam conſtituitur in ratione entis actualis & extra nihil: ergo exiſtentia non eſt quid realiter diſtinctum ab entitate eſſentiæ.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: In ratione entis actualis, actualitate eſſentiali, nego: accidentali (ſupple Logicè) concedo: per propriam autem entitatem conſtituitur res in ratione entis actualis actualitate eſſentiali, per exiſtentiam verò in ratione entis actualis actualitate accidentali: ſeu, quod idem eſt, per illam conſtituitur in ratione entis actualis nominaliter, per hanc in ratione entia actualis participialiter.

Inſtabis: Per propriam entitatem extrahitur extra nihil & extra cauſas: ergo per illam conſtituitur in ratione entis actualis actualiter exiſtentis.

Reſpondeo extrahi per propriam entitatem poſitiuam tanquam per rationem formalem, per exiſtentiam verò tanquam per conditionem. Et hac diſtinctione explicantur omnia quæ dicta ſunt, ita vt entitas poſitiua eſſentiæ ſit id quod ponitur extra cauſas & ratio veluti formalis conſtituens ens actuale quod exiſtit à parte rei; actualitas verò exiſtentiæ ſit conditio, cùm antecedenter ad illam non intelligatur res completè & in facto eſſe poſita extra cauſas, ſed ſolùm incompletè, & veluti in fieri. Illa inquam actualitas ſuperaddita ſe habet vt conditio reſpectu entis actualis participialiter, non reduplicatiuè ſumpti vt exiſtentis, ſic enim potiùs

principium & radix : ſuppoſitum autem (ad quod natura comparatur vt principium quo ad principium quod) dicitur eadem natura vt indiuidualis & ſubſiſtens in communicabiliter:hæc eſt definitio ſuppoſiti. Dicitur natura indiuidualis, vt excludantur naturæ vniuerſales à ratione ſuppoſiti. Dicitur ſubſiſtens, per quod excluduntur accidentia quæ non ſubſiſtunt per ſe ſed inhærent : excluditur etiam per hoc à ratione ſuppoſiti natura humana Chriſti Domini ſumpta in illo priori quo antecedebat vnionem cum ſubſiſtentia diuina; quamuis enim tunc intelligeretur per ſe ſubſiſtens aptitudinaliter, in quo ſubſtantia differt ab accidente, non tamen actualiter, & ideò non erat ſuppoſitum aut perſona. Additur, incommunicabiliter, per quod excluditur natura ſubſiſtens communicabiliter, qualis eſt natura diuina vt ſecundum noſtrum modum concipiendi abſtrahit à tribus perſonis : quamuis enim vt talis ſit natura indiuidualis ſubſiſtens,non tamen perſona, quia eſt communicabilis tribus ſuppoſitis. Vnde de ratione ſubſiſtentiæ conſtituentis ſuppoſitum eſt quod ſit actualitas quædam aut modus reddens naturam ſubſiſtentem ac incommunicabilem alteri, non ſolùm vt ſubiecto inhærentiæ, quod iam habet natura ſubſtantialis prout diſtinguitur ab accidente; ſed etiam vt ſuppoſito : & ideò quamuis natura antecedenter ad ſubſiſtentiam propriam poſſit vniri ſubſiſtentiæ aut perſonæ diuinæ ſupplenti vices propriæ, vt in myſterio Incarnationis contigit, non tamen prout eſt iam ſubſiſtens ſeu ſuppoſitata, quia per ſubſiſtentiam redditur incommunicabilis alteri vt ſuppoſito, ſubindéque nequit ipſi vniri niſi priuetur ſeu denudetur propria ſubſiſtentia. Et ratio horum eſt, quia ſuppoſitum eſt id quod eſt perfectiſſimum & vltimum in linea ſubſtantiæ, ſubindéque ſubſiſtentia eſt vltima illius lineæ perfectio conſtituens ipſum non vlteriùs perfectibile in ea, atque adeò non vnibile aut communicabile alteri ſubſtantiali aut ſuppoſito vel perſonæ; iam enim vlteriùs perficeretur ab ea.

Differunt autem ſubſiſtentia, ſuppoſitalitas, & perſonalitas: ſeu, ſubſiſtens, ſuppoſitum, perſona ſiue hypoſtaſis, per hoc ſolùm quòd ſubſiſtentia & ſubſiſtens, ſuppoſitalitas & ſuppoſitum, dicuntur de omnibus ſubſtantiis, perſonalitas verò & perſona ſeu hypoſtaſis ſolùm de natura intellectuali, ita vt perſona nihil aliud ſit quàm ſuppoſitum naturæ intellectualis. His prælibatis.

Difficultas eſt vtrum ſuppoſitum, ſeu ſubſiſtentia addat aliquid poſitiuum ſupra naturam indiuidualem, realiter diſtinctum ab ea. Pro cuius reſolutione.

Dico: In omnibus ſubſtantiis creatis ſubſiſtentia & perſonalitas eſt aliquid reale poſitiuum naturæ ſuperadditum & realiter ab ea diſtinctum. Eſt contra Scotum, qui ſentit ſuppoſitum ſupra naturam nihil poſitiuum addere, ſed ſolam negationem dependentiæ ab alio vt ſuſtentante aut ſuppoſitante.

Probatur tamen concluſio: quia Verbum diuinum in myſterio Incarnationis aſſumpſit naturam humanam & tamen non aſſumpſit humanam perſonam, ſed impediuit quo minus propria perſonalitas ſeu ſubſiſtentia humanitatis reſultaret, ſubſtituens ſuam loco illius, vt definitum eſt in Conſiliis, præſertim in Toletano ſexto & vndecimo contra Neſtorium: ergo perſonalitas eſt aliquid reale poſitiuum realiter diſtinctum à natura.

Reſpondet Scotus Verbum diuinum aſſumpſiſſe naturam non autem perſonam humanam, non quod aſſumpſerit naturam ſine aliqua realitate ſibi debita, ſed quia per hoc quod fuit ſuppoſito Verbi vnita, facta eſt dependens ab illo vt ſuſtentantem aut ſuppoſitante, in cuius ab alio dependentiæ negatione conſiſtit ratio propriæ perſonalitatis.

Sed contra: quia ſi per vnionem ad Verbum humanitas non fuit priuata aliquâ realitate quam alioquin haberet, non dependeret ab illo vt ſuppoſito ſuſtentante; ergo ſolutio nulla. Probatur antecedens; quia

quia haberet omnem realitatem ad ſubſiſtendum in ſeipſa requiſitam: ergo non dependeret à Verbo in ſubſiſtendo. Ex quibus vlteriùs ſequeretur Verbum diuinum aſſumpſiſſe perſonam humanam, ſiquidem aſſumpſiſſet humanitatem cum omni ſua realitate propria. Fundamentum autem horum omnium eſt quòd ſuppoſitum ſeu perſona ſecundùm ſuam propriam formalem rationem eſt aliquid reale poſitiuum: ergo conſtitutiuum formale eius eſt reale & poſitiuum: atqui huiuſmodi conſtitutiuum eſt ſubſiſtentia, ſeu perſonalitas quam de formali importat, de materiali verò naturam, vt ex definitione ſupra adducta conſtat: ergo ſubſiſtentia eſt quid reale poſitiuum & non mera negatio dependentiæ, vt vult Scotus.

Obiicies: Suppoſitum nihil eſt aliud quàm natura indiuidua per ſe ſubſiſtens: atqui natura indiuidua intelligitur per ſe ſubſiſtens hoc ipſo quod non eſt in alio ſuſtentante: ergo ſuppoſitum nihil addit niſi negationem eſſendi in alio.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: Per ſe ſubſiſtens poſitiuè, concedo: negatiuè tantùm, nego. Similiter ad minorem: Intelligitur hoc ipſo per ſe ſubſiſtens, negatiuè, concedo: poſitiuè, nego: vnde & nego conſequentiam. Ratio huius ſolutionis eſt, quia ſuppoſitum aut perſona ſecundum propriam rationem eſt aliquid poſitiuum, cùm ſit id quod eſt perfectiſſimum in natura, atque adeò debet intelligi vt ſubſiſtens poſitiuè, ſubindéque formale conſtitutiuum eius, quod eſt ſubſiſtentia aut perſonalitas, debet eſſe quid poſitiuum.

SECTIO II.

Quomodo diſtinguatur ſubſiſtentia ab exiſtentia in creatis.

COnueniunt omnes ſubſiſtentiam in creatis eſſe quid diſtinctum ab eſſentia eſtque de fide, cùm Verbum in Incarnatione aſſumpſerit naturam non aſſumpta ſubſiſtentia : (licet Scotus à nobis iam impugnatus velit illud non eſſe quid poſitiuum ſed negatiuum.) Sed controuerſia eſt vtrùm ſit quid diſtinctum ab ipſa etiam exiſtentia. Caietanus & multi Thomiſtæ, item Suares, Vaſques & alij exiſtimant diſtingui ab illa : ſed differunt hi auctores in hoc quod primi, qui tenent eſſentiam & exiſtentiam realiter diſtingui in creatis, putant ſubſiſtentiam mediare inter illas, ita vt reddat eſſentiam proximè capacem & ſuſceptiuam exiſtentiæ ; alij verò, qui tenent exiſtentiam non diſtingui ab eſſentia , volunt ſubſiſtentiam ſubſequi exiſtentiam, ſicut ſubſequitur eſſentiam. Ergo vt meam exprimam ſententiam,quæ eſt Capreoli, Blaſij à Conceptione Carmelitæ Excalceati in ſua Metaphyſica, & plurium aliorum Thomiſtarum.

Dico ſubſiſtentiam non diſtingui realiter ab exiſtentia, ſed ſolùm virtualiter : ita vt vna & eadem actualitas vltima rei dicatur & ſit exiſtentia, quatenus per illam res complete conſtituitur à parte rei: ſubſtantia, verò quatenus per eam conſtituitur per ſe ſubſiſtens & incommunicabilis alteri.

Probatur primò ex ratione & definitione exiſtentiæ, ſic : Exiſtentia eſt vltima actualitas & perfectio ſubſtantialis rei : ſed ſubſiſtentia eſt huiuſmodi in

ſubſtantiis creatis : ergo in illis eſt idem realiter cum exiſtentia. Maior patet ex dictis tam hic, quàm diſputatione præcedenti ; & ex diſcrimine inter exiſtentiam rei & proprietates aut alias ipſius perfectiones quæ ei à ſuis cauſis communicantur, quòd exiſtentia eſt de ipſius ſubſtantia, aliæ verò perfectiones ſunt extra ſubſtantiam ipſius, & ideò addidi ly ſubſtantialis. Minor verò probatur, ſic: Suppoſitum aut perſona eſt id quod eſt perfectiſſimum & vltimum in linea ſubſtantiæ, hac enim de cauſa dicitur & eſt omnino incommunicabile alteri ſubſtantiali ſuppoſito, quia ſcilicet non petit vlteriùs perfici in linea ſubſtantiæ : ergo ſubſiſtentia, qua natura ſubſtantialis conſtituitur in ratione ſuppoſiti, eſt vltima perfectio ſeu actualitas illius, atque adeò idem realiter cum exiſtentia.

Probatur ſecundò ex ratione & definitione ipſius ſubſiſtentiæ, ſic : Subſiſtentia eſt modus incommunicabiliter ſubſiſtendi, ſeu id quo ſubſtantia indiuidua conſtituitur ſubſiſtens incommunicabiliter : atqui ſubſtantia creata conſtituitur ſubſiſtens incommunicabiliter per ſuam exiſtentiam : ergo ſubſiſtentia eſt idem cum exiſtentia in rebus creatis. Probatur minor : Et in primis quod exiſtentia ſubſtantiæ conſtituat eam per ſe ſubſiſtentem, videtur clarum, eſt enim exiſtentia per ſe (in quo differt ab exiſtentia accidentis, quæ eſt exiſtentia in alio) atque adeò conſtituit rem per ſe exiſtentem ſeu ſubſiſtentem, ſubſiſtere enim nihil aliud eſt quàm exiſtere per ſe. quòd verò conſtituat ſubſiſtentem incommunicabiliter, ſuadetur : quia eſt vltima actualitas & vltima perfectio ſubſtantialis ipſius naturæ : ergo conſtituit eam incommunicabilem alteri à quo indigeat ſuſtentari, aliàs vlteriùs perficeretur ab illo. Dixi, à quo indigeat ſuſtentari : quia exiſtentia diuina, quamuis ſit vltima actualitas, conſtituit tamen naturam diuinam vlteriùs communicabilem tribus ſuppoſitis, ex ſumma & infinita fecunditate, non verò ex indigentia, quaſi indigeat ab illis ſuſtentari. Vnde

Confirmatur & explicatur noſtra ratio & concluſio: Exiſtentia ſubſtantiæ creatæ habet duo, & quòd ſit exiſtentia ſubſtantialis, & quòd ſit finita: hoc ipſo quòd eſt exiſtentia ſubſtantialis, dat eſſe per ſe ſeu ſubſiſtere: & hoc ipſo quod eſt finita, dat eſſe incommunicabiliter: quod ſic oſtenditur: ideò enim exiſtentia diuina non conſtituit Deum abſolutè conſideratum ſubſiſtentem incommunicabiliter, ſed potiùs communicabiliter, quia ipſa eſt infinita & infinitè fœcunda, ac propterea communicabilis ergo è contra quia exiſtentia cuiuſlibet ſubſtantiæ creatæ eſt finita, conſtituet ipſam incommunicabilem. Probabitur conſequentia ex illo principio. Si affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio eſt cauſa negationis: ergo cum infinitas ſit cauſa vel ratio adæquata cur exiſtentia diuina ſit communicabilis, negatio infinitatis erit ratio ob quam exiſtentia ſubſtantiæ creatæ erit incommunicabilis.

Reſpondebis infinitatem illam eſſe rationem communicabilitatis ortæ ex ſumma fœcunditate, atque adeò ex oppoſito finitatem exiſtentiæ creatæ eſſe ſolùm rationem cur natura creata non ſit communicabilis ex fœcunditate, non verò cur non ſit communicabilis abſolute; atque adeò vt fiat talis requiritur aliquid ab exiſtentia diſtinctum.

Sed contra: Ex hoc ſuadetur magis & elucidatur noſtra concluſio: quia ſubſtantia creata per ſuam propriam exiſtentiam, circumſcripta quacunque actualitate realiter diſtincta, conſtituitur omnino incommunicabilis alteri vt ſuſtentanti ipſam ergo. Probatur antecedens: quia qua parte eſt finita, conſtituit naturam incommunicabilem ex fœcunditate, vt probatum & conceſſum manet ex illo principio. Si affirmatio, &c. qua verò parte eſt vltima actualitas ſubſtantiæ, conſtituit eam incommunicabilem ex indigentia, ſubſtantia enim vltimò actuata & perfecta non indiget vlterius perfici, nec ſubinde ſuſtentari.

Probatur tertiò: Si ſubſiſtentia eſſet modus aut

actualitas realiter diſtincta ab exiſtentia, vel antecederet illam vel ſubſequeretur: neutrum dici poteſt: ergo. Minor quoad ſecundam partem probata manet contra Suarem ex diſputatione præcedenti, & ex propria definitione exiſtentiæ quæ eſt vltima actualitas rei, ſubindéque non datur alia vlterior illa. Quoad primam vero partem ſuadetur: quia ſi ſubſiſtentia eſſet modus realiter diſtinctus medius inter naturam & exiſtentiam, vt exiſtimat Caietanus, poſſet natura affecta propria ſubſiſtentia aſſumi ad exiſtentiam diuinam: conſequens eſt falſum, quia ſubſiſtentia iuxta omnes conſtituit naturam incommunicabilem alteri ſubſtantialiter perficienti ipſam: ergo. Probatur ſequela maioris: Ideò natura vt præueniens ſubſiſtentiam poteſt aſſumi ad perſonalitatem diuinam: quia ſubſiſtentia creata eſt actualitas realiter à natura diſtincta, quam perſonalitas diuina poteſt ſupplere: ergo ſi exiſtentia creata ſit actualitas realiter diſtincta à ſubſiſtentia & ad eam ſubſequens, poterit natura iam actuata per propriam ſubſiſtentiam compleri & vltimò terminari per exiſtentiam diuinam vices propriæ ſupplentem.

Obiicies primò: Si ſubſiſtentia eſſet eadem realiter actualitas cum exiſtentia in creatis ſequeretur humanitatem Chriſti non fuiſſe per ſe primò aſſumptam ad perſonalitatem propriam Verbi, ſed ad exiſtentiam communem tribus perſonis: conſequens eſt falſum & erroneum, quia aliàs tres perſonæ eſſent incarnatæ. Probatur ſequela maioris: quia ſola exiſtentia diuina poteſt ſupplere exiſtentiam creatam, vtpote ſola continens eius perfectionem: ergo ſi ſubſiſtentia creata nihil aliud ſit quàm ipſamet exiſtentia, ſuppleri debuit per exiſtentiam diuinam, & ſic per illam per ſe primò debuit humanitas terminari.

Reſpondeo negando primam partem ſequelæ, & diſtinguendo ſecundam: Ad exiſtentiam communem vt communem, nego vt appropriatam Verbo, ſeu vt modificatam per ſubſiſtentiam perſonalem,

ipſius concedo : quæ diſtinctio applicanda eſt minori, vnde non ſequitur tres perſonas fuiſſe incarnatas, ſed ſecundam duntaxat. Ad probationem diſtinguo antecedens : Sola exiſtentia diuina poteſt ſupplere exiſtentiam creatam, ſub formalitate exiſtentiæ, concedo : adæquatè & ſub formalitate etiam ſubſiſtentiæ, nego : ſub iſta enim ratione ſuppleri debet per ſubſiſtentiam diuinam quæ continet perfectionem creatæ, ſeu quod idem eſt per exiſtentiam vt modificatam ſubſiſtentia perſonali reduplicatiuè quæ diſtinctio proportionaliter applicanda eſt conſequentiæ.

Inſtabis : Exiſtentia & ſubſiſtentia perſonalis in Deo diſtinguuntur inter ſe virtualiter ſeu ratione ratiocinata cum fundamento : ergo exiſtentia & ſubſiſtentia creatæ, quæ per illas ſupplentur, diſtinguuntur realiter. Probatur conſequentia : quia eæ ſolæ perfectiones poſſunt dici virtualiter diſtinctæ in Deo, quæ æquiualent perfectionibus realiter diſtinctis in creaturis : ergo cum exiſtentia & ſubſiſtentia in Deo æquiualeant exiſtentiæ & ſubſiſtentiæ creatis, debent hæ diſtingui realiter, ſi illæ virtualiter diſtinguantur.

Reſpondeo negando conſequentiam Ad probationem conceſſo etiam antecedente diſtinguenda eſt conſequentia, & dicendum exiſtentiam & ſubſiſtentiam perſonalem in Deo æquiualere quidem exiſtentiæ & ſubſiſtentiæ creatæ, ſed non ex eo capite ſeu ratione illius æquiualentiæ virtualiter inter ſe diſtingui, ſed ſolùm ex eo quod exiſtentia diuina ſit quid abſolutum, ſubſiſtentiæ verò perſonales, nempe Paternitas, Filiatio, & Spiratio paſſiua, ſint relationes : atque adeò virtualiter diſtinguuntur exiſtentia & ſubſiſtentia perſonalis in Deo ex eo quod æquiualeant abſoluto & relatiuo quæ in creaturis ex ſuo genere & realiter diſtinguuntur.

Vrgebis ſpecialiter pro ſententia Suaris ſubſiſtentia perſonalis in Deo eſt modus virtualiter diſtin-

ctus ab exiſtentia communi eam ſubſequens ; ergò in creatis erit modus per ſe ſubſiſtendi conſequens ad exiſtentiam creatam.

Confirmatur : Inhærentia actualis realiter diſtinguitur ab exiſtentia accidentis (cum in Euchariſtia hæc ſit ſine illa eamque ſequatur : ergo pariter dicendum de ſubſiſtentia reſpectu exiſtentiæ ſubſtantialis. Probatur conſequentia ; quia inhærentia ſe habet ad exiſtentiam accidentis ſicut ſubſiſtentia ad exiſtentiam ſubſtantiæ.

Ad argumentum nego conſequentiam ; in Deo enim eſt modus ſubſequens exiſtentiam, quia hæc eſt communicabilis ob ſuam fœcunditatem ; ſecus verò exiſtentia creata, atque adeò non debet illa reddi incommunicabilis per aliquam modum ſubſequentem, ſicut illa.

Ad confirmationem nego etiam conſequentiam: ad probationem nego paritatem ſubſiſtentia enim eſt complementum intrinſecum ſubſtantiæ, vnde non debet ſubſequi exiſtentiam quæ eſt vltimum complementum : inhærentia verò actualis eſt tantum vnio accidentis cum ſubiecto, atque adeò complementum veluti extrinſecum ſine quo accidens omnino intelligitur intrinſecè completum cum ſola inhærentia proxima aptitudinali quæ eſt exiſtentia eius.

Obiicies ſecundò in fauorem ſententiæ Caietani: Suppoſitum eſt immediatum ſuſceptiuum exiſtentiæ : atqui ſuppoſitum conſtituitur per ſubſiſtentiam: ergo ſubſiſtentia eſt aliquid realiter antecedens exiſtentiam, ſubindéque realiter ab ea diſtinctum. Probatur maior : Immediatum ſuſceptiuum exiſtentiæ eſt ens completum & prædicamentale : atqui natura præcisè ſumpta, putà humanitas, non eſt talis, ſed solùm ſuppoſitum : ergo.

Confirmatur : Solum ſuppoſitum exiſtit vt quod, natura verò ſolùm vt quo : ergo illud eſt ſuſceptiuum quod.

Ad argumentum reſpondeo immediatum ſuſce-

ptiuum exiſtentiæ non eſſe ſuppoſitum, ſi propriè & in rigore loquamur, cùm ipſam importet, & per eam conſtituatur tale, vt probatum eſt; ſed eſſe ipſam naturam: ad probationem reſpondeo ſuſceptiuum exiſtentiæ eſſe ens completum phyſicè, non verò metaphyſicè, ſed hoc modo compleri per ipſam: ſimiliter eſſe ens prædicamentale vt quo non vt quod.

Ad confirmationem negatur conſequentia; quia ſolùm compoſitum ex natura & ſubſiſtentia denominatur ſubſiſtens & exiſtens vt quod, non verò ſubiectum ſuſceptiuum exiſtentiæ præcisè ſumptum, de quo vide aliàs dicta dum de termino generationis.

DISPVTATIO III.

De ſubſtantiis ſpiritualibus ſeu Angelis.

AD Metaphyſicam per ſe pertinet agere de ſubſtantia in genere, & in particulari de ſubſtantia ſpirituali, cùm vtraque abſtrahat à materia, illa re, hæc ratione: materialis verò eſt per ſe obiectum Phyſicæ. Verum quia de ſubſtantia in communi ſufficienter egimus in Logica, ideò hic ſolùm de ſpirituali reſtat agendum. Sit ergo.

SECTIO I.

De Angelis ſecundum ſe.

NOmine Angelorum intelliguntur ſubſtantiæ quædam ſpirituales completæ: completæ, inquam, in quo differunt ab animabus noſtris quæ ſunt formæ corporum, ſubindéque incompletæ, angeli verò ſunt totaliter à materia ſeparati. Hoc poſito.

Dico primò dari huiuſmodi ſubſtantias ſpirituales, quæ dicuntur Angeli, nomine officij potiùs quàm naturæ, Angelus enim Græcè idem eſt ac nuncius, fuitque hoc nomen impoſitum ipſis, eo quòd iis ſpiritibus committuntur ordinarie mandata hominibus perferenda, à Philoſophis autem gentilibus appellantur intelligentiæ, genij dij, animæ cœlorum, ſubſtantiæ, aut ſpecies ſeparatæ. Eſt autem concluſio de fide, definita in Concilio Lateranenſi cap. Firmiter de ſumma Trinitate & fide Catholica.

Probatur verò philoſophicè primò à poſteriori: quia multos videmus effectus, qui non poſſint procedere niſi à ſpiritibus imperfectioribus Deo & homine perfectioribus in intelligendo & operando, ergo dantur illi ſpiritus quos nomine Angelorum intelligimus. Probatur antecedens: Primò ex his quæ videmus fieri in Energumenis aut corporibus obſeſſis; videmus enim Energumenos alioquin ignaros & idiotas facilè & expedite loqui linguis alienis & extraneis, alioſque is loquentes intelligere: cognoſcere & enunciare occulta & quæ in locis remotis fiunt: eos etſi alias infirmos & imbecilles magnæ & inuſitatæ virtutis effectus ede-

re, robuſtiſſimos quoſque facilè vincere, catenas ferreas diſrumpere, domos integras concutere, corpus quoquouerſum contorquere, & in ſublime cum intuentium ſtupore efferre; item proferre blaſphemias, turpia loqui, mentiri, ad nocendum aliis maximè tunc propendere licet alioqui pij ſint & deuoti. Secundò ex his quæ faciunt Magi, videmus enim eos per quædam ſigna aduocare aliqua quæ ad ipſorum imperium morbos immittunt, nubes cœlo paulò ante ſereno ſubitò colligunt, excitant tonitrua, fulgura, grandines, ventos, damna afferunt frugibus, pecoribus, hominibus; Item abſentes in ſpeculis aut annullorum lapillis repræſentant, quæ nemine conſcio facta fuere produnt, & alia id genus multa præſtant: Subſumendo autem conſtat illa omnia non fieri à Deo tanquam propria huiuſmodi effectuum cauſa, præſertim cùm ſint pleráque mala & inordinata: ſed neque à ſolo homine fieri poſſe, aut ab aliquo humore melancholico in corporibus Energumenorum aut Magorum concitato, aut ab aliquibus medicamentis, aut per influxum aſtrorum, aut characteribus & ſignis magicis; cùm hæc & ſimilia nullam ad huiuſmodi effectus habeant proportionem: ergo fiunt ab agentibus Deo imperfectioribus & perfectioribus homine, id eſt, à ſpiritibus, & quidem malis & ob ſuam malitiam damnatis qui corpora obſident, Magiſque famulantur. Nec dicas poſſe illos effectus cauſari ab animabus ſeparatis, & ſic non eſſe neceſſe admittere alios ſpiritus. Contra enim eſt, quia imprimis plura ex illis videntur animarum etiam virtutem ſuperare, vt magnæ domorum concuſſiones, ſubitæ tempeſtatum concitationes, occultorum & remotiſſimorum diuinationes. Deinde non videtur tantùm eſſe odij animabus ſeparatis in alias animas ſibi ſimiles, quantum apparet in illis ſpiritibus. Deinde in illi ſpiritibus, qui vt experientiâ patet per exorciſmos & adiurationes coacti veritatem dicunt, fatentur ſe eſſe à ſpiritibus humanis diuerſos.

Probatur ſecundò veluti à priori quia imprimis ſunt poſſibiles hujuſmodi ſubſtantiæ ſpirituales completæ; cùm nec repugnet ex parte Dei eas produci, ex eo quod Deus eſt omnipotens; nec ex parte ipſarum; non enim repugnat ex ratione ſubſtantiæ vt vt patet; alias omnis ſubſtantia creata repugnaret, nec ex ratione ſubſtantiæ ſpiritualis, cùm ratio per ſe ſubſiſtendi non repugnet ſpiritualitati, vt conſtat in anima rationali; nec ex ratione ſubſtantiæ ſpiritualis completæ, cùm ſubſtantia ſpiritualis ſeu intellectualis ſecundum ſe non petat eſſe incompleta & compars materiæ, imo oppoſitum ſi ſit In ſtatu perfecto, cum vita intellectualis conſiſtat in eleuatione formæ ſuprà materiam, atque adeo perfecta in perfecta eleuatione & ſeparatione ab illa. Quod vero dentur de facto, ex eo probatur, quod alias vniuerſum non eſſet perfectum, ad quod requiritur quod trium graduum quibus conſtat, eſſendi ſcilicet, viuendi, & intelligendi perfectiſſimus qui eſt gradus intelligendi non manſerit imperfectus, quod tamen eſſet ſi reperiretur ſolum in homine in quo gradus ille non eſt ſeiunctus à materia vel habitudine ad ipſam.

Dico ſecundò, angelos fuiſſe à Deo productos, & quidem per creationem: quia omne ens per participationem eſt ab ente per eſſentiam: & cùm ſint ſubſtantiæ ſpirituales à materia & ſubiecto independentes, facti ſunt ex nullo præſuppoſito ſubiecto, ſubindéque è nihilo, quod eſt fieri per creationem.

Dico tertiò, non fuiſſe productos ab æterno, ſed quo tempore mundus conditus eſt, cùm ſint partes eius, quatenùs mundus ſignificat creaturarum vniuerſitatem.

Dico quartò, fuiſſe productos in cœlo empyreo: quia præſtantiſſimis creaturis debebatur præſtantiſſimus locus.

Dico quintò, omnes fuiſſe creatos bonos, ſed quoſdam ſua libertate factos eſſe malos: quia aliàs

malitia tribueretur authori naturæ.

Dico ſextò, eſſe incorruptibiles & immortales ab intrinſeco, annihilabiles tamen per potentiam Dei extrinſecam: quia formæ non corrumpuntur, niſi quæ in ſuo eſſe & conſeruari dependent ab vnione cum materia nec ab ea ſunt ſeparabiles: angeli verò ſunt formæ completæ & ſubſiſtentes à materia omninò independentes: ergo non ſunt ab intrinſeco corruptibiles. Cùm tamen à concurſu Dei conſeruante pendeant, poſſunt illo ceſſante ad nihilum redigi.

Dico ſeptimò, omnes angelos differre inter ſe ſpecie, ita vt intra eandem ſpeciem non multiplicentur, ſed nec per abſolutam Dei potentiam multiplicari poſſunt. Prima pars, in qua omnes conueniunt, probatur: quia multiplicatio indiuiduorum intra eandem ſpeciem eſt per accidens intenta & ad conſeruationem ſpeciei quando non poteſt conſeruari niſi per ſucceſſionem plurium indiuiduorum quæ non ſunt incorruptibilia: atqui hoc non habet locum in angelis, nam cum quilibet ſit incorruptibilis, poteſt in quolibet eorum perpetuò ſpecies conſeruari: ergo non multiplicantur ſolo numero. Quod verò nec multiplicari poſſint, ſuadetur ex dictis ſuprà de principio indiuiduationis: quia principium numericæ multiplicationis intra eandem ſpeciem non poteſt eſſe aliud quàm materia ſignata quantitate quæ per ſe primò eſt diuiſibilis in plura eiuſdem rationis: angeli carent materia & habitudine ad materiam, per quam animæ rationales indiuiduantur: ergo. Vnde loco citato.

SECTIO II.

De angelis per comparationem ad res corporeas.

DIco primò angelos non poſſe informare materiam aut corpus; ad hoc enim deberent eſſe formæ incompletæ: poſſe tamen corpora aſſumere, eiſque vniri, ſicut motor vnitur mobili: quia ex hoc quod ſint à corporibus independentes ipſiſque ſuperiores, habent vim aliquam & poteſtatem in illa, vnde poſſunt ea mouere, ſubindéque ipſis vniri ſicut agentia paſſis, qua ratione vniuntur cœlis. Ex quibus infero &

Dico ſecundò angelos in corporibus aſſumptis non exercere operationes vitales quæ naturâ ſuâ procedunt à coniuncto ex corpore & anima, putà actiones videndi, audiendi, loquendi &c. quia ad hoc neceſſe foret quod eſſent formæ informantes: vnde verba ſenſibilia, quæ in corporibus aſſumptis proferunt, non ſunt vera & vitalia verba, ſed ſoni quidam mortui quos edunt ex colliſione quarundam partium huiuſmodi corporum.

Dico tertiò angelos eſſe in loco, non vniuocè cum corporibus, ſed æquiuocè: quia corpora ſunt in loco per quantitatem, angeli per operationem quatenùs alicubi operantur, ſicut agens eſt præſens paſſo: neque enim ſunt in loco per ſuam ſubſtantiam nudè ſumptam, quidquid velit Suares, cùm ſubſtantia ſecundum ſe abſtrahat ab omni loco; ſed per operationem virtualiter tranſeuntem, immediatè immediatione ſuppoſiti ab angelo exeuntem.

vnde non ſequitur angelum mouentem cœlum eſſe toti cœlo præſentem per ſuam ſubſtantiam, ſed illi parti cui immediatè applicat ſuam virtutem quæ inde diffunditur per totum.

Dico quartò, angelos poſſe moueri localiter de vno loco in alium etiam impertranſito medio, non tamen in inſtanti. Prima pars probatur: quia poteſt angelus ſucceſſiuè operari in diuerſis locis: ergo & fieri ipſis ſucceſſiuè præſens, quod eſt moueri. Secunda, quia poteſt ſucceſſiuè operari in extremis non operando in medio: Tertia, quia impoſſibile eſt quod in eodem inſtanti ſit in termino à quo & in termino ad quem, ſed exiguntur ſaltem duo inſtantia.

Dices: inſtans quo eſt in termino à quo non computatur cum motu, ſed ſolùm inſtans quo ſe ſe applicat termino ad quem Diſtinguo antecedens: inſtans quo eſt in termino à quo abſolutè ſumpto, concedo: quo eſt in termino à quo cum habitudine ad terminum ad quem, nego. Ex dictis.

Inferes angelos operari etiam ad extra per ſolum intellectum & voluntatem, cùm ſint naturæ intellectuales, & in huiuſmodi naturis non ſit àlia facultas vt diximus in fine tractatus de Anima.

SECTIO III.

De intellectu, voluntate, & locutione angelorum.

DE his quæ ad intellectum & voluntatem angelorum, extra ad ſpecies intelligibiles ſpectant, philoſophandum eſt proportionaliter ac de anima, cum differentiis quæ huiuſmodi naturas

conſequuntur : vt quod ſpecies intelligibiles ſint illis à Deo inditæ in inſtanti creationis, & non acquiſitæ per ſenſus quibus carent ſicut & per conſequens intellectu agente qui ad eas à ſenſibus aut phantaſmatibus abſtrahendas in nobis ordinatur : quòd ſpecies illæ ſint longè vniuerſaliores noſtris : vnde oritur quod intelligunt rem vnico intuitu & non ratiocinando, ſeu ex vna cognitione aliam deducendo, quia ſpecies illæ repræſentant totum, & naturam & proprietates aut accidentia : ex quo etiam prouenit in eis inflexibilitas ſeu immobilitas intellectus & voluntatis, ita vt cui ſemel adhærent, immobiliter adhæreant, tùm per cognitionem, tùm ex conſequenti per electionem : quia in nobis qui diſcurrimus prior cognitio poteſt corrigi per ſubſequentem, ſubindeque & electio, quod in eis locum non habet. Sed de his & aliis ad Theologos : vnum tantùm addendum circa angelorum locutionem, illam fieri per liberam directionem ſuorum conceptum vnius ad alterum, ſine qua occultæ manent ipſis cordium cogitationes.

DISPVTATIO IV.

De accidentibus ſpiritualibus,

SEORSIM

De ſcientia.

METAPHYSICI etiàm muneri eſt agere de ratione communi accidentis, quæ conſiſtit in inhærentia, non actuali, vt ſæpiùs diximus, cùm ſine ipſa exiſtere queant accidentia, vt fit in Eucha-

riſtia ; ſed aptitudinali : item de rationibus prædicamentorum , in quæ diuiditur , à materia abſtrahentibus , vt de relatione & qualitate ; maximè de qualitatibus ſpiritualibus , quæ non ſolùm ratione, ſed etiam re abſtrahunt à materia & corporeitate. Verùm quæ de his omnibus tractanda eſſent , dicta ſunt ob doctrinæ connexionem aut neceſſitatem in Logica & alibi paſſim , & in Morali plura circa qualitates aut habitus intellectus & voluntatis , qui ſpirituales ſunt , dicentur ; ideò libet hîc agere de vno tantùm , nempe de ſcientia de qua à nonnullis tractari ſolet in fine Logicæ , vbi de demonſtratione cuius eſt effectus; ſed nos huc vſque de ea diſputandum diſtulimus , non ſolum quia ad obiectum Metaphyſicæ per ſe pertinet , ſed etiam quia nuſquam meliùs eius natura percipi & explicari poteſt quàm vbi de ſcientiis in particulari actum eſt. Sit ergo.

SECTIO I.

De exiſtentia ſcientiæ.

ANtequam ad celebriores , quæ circà naturam ſcientiæ moueri ſolent & agitari quæſtiones accedamus , ſtabilienda ſunt aut potius ſupponenda aliqua quæ eius exiſtentiam concernunt.

Dico ergo aut ſuppono primò dari ſcientiam Patet : quia plura demonſtratiuè cognoſcuntur in ſingulis facultatibus , Logica , Phyſica , &c. Et contra negantes hanc communem ſuppoſitionem poſſumus ſic cum D. Auguſtino arguere : vel enim ipſi ſciunt non dari ſcientiam, vel neſciunt : ſi neſciant, mirum eſt quod velint nos fidem habere neſcientibus : ſi ſciant, ergo datur ſaltem ſcientia illorum inſ-

citiæ, ita vt cum illo alio dicere poſſint ſe hoc vnum ſcire quòd nihil ſciant.

Dico & ſuppono ſecundò ſcientiam aliam eſſe actualem, aliam habitualem. Actualis eſt aſſenſus concluſionis, ſeu actualis cognitio illius per demonſtrationem comparata. Habitualis eſt habitus ſeu qualitas permanens relicta in intellectu ex aſſenſibus ſcientificis & demonſtratiuis, inclinans eum ad ſimiles aſſenſus promptè & delectabiliter eliciendos, de quibus vide dicta in Logicæ prolegomenis, & in fine illius.

Dico & ſuppono tertiò, dari poſſe ſcientiam non ſolum de ente, de quo per medium neceſſarium demonſtrari poſſunt proprietates: ſed etiam de non ente; nam de vacuo, quod eſt non ens, demonſtratur quòd non poſſit dari naturaliter.

Dico & ſuppono quartò, dari ſcientiam etiam de ente rationis, maximè de directiuo operationum intellectus, vt patet ex tota Logica.

Dico quintò, non dari ſcientiam de fortuito vt tali, quia nihil certi de illo affirmari poteſt; nec de ente per accidens, ſeu de aggregato ex pluribus entibus completis vt tali, quia non habet ſpecialem eſſentiam nec proprietates ſpeciales de ipſo demonſtrabiles, cùm non ſit aliquid præter ea quibus conſtet.

Dico ſextò, non dari ſcientiam de ſingularibus contingentibus vt talia ſunt, quia nihil certi de illis vt talibus affirmari poteſt, cùm modò ſint, modò non ſint. Dixi, de ſingularibus contingentibus: nam de Deo qui eſt ſingulare neceſſarium datur ſcientia, & de ipſo demonſtrantur ſingulariſſimæ perfectiones. Dixi, vt talibus: quia de Petro non vt ſingulari præcisè, ſed vt participat naturam ſpecificam demonſtratur quòd ſit riſibilis. Procedit autem concluſio de ſcientia naturali, nam de Chriſto vt eſt tale ſingulare datur ſcientia ſupernaturalis, ſeu Theologia lumini diuinæ reuelationis innixa; ex eo enim quòd in primo inſtanti ſuæ conceptionis ſeſe

obtulerit Patri æterno, infert Theologia quòd infinitè meruerit per illum numero actum; & multa alia ſimilia demonſtrat.

Obiicies: Phyſica eſt ſcientia, & tamen verſatur circa ſingularia, nam conſiderat cœlum, Lunam, &c. quæ ſunt ſingularia: ergo datur ſcientia de ſingularibus.

Reſpondeo negando Phyſicam verſari per ſe primò circa cœlum, Lunam, & huiuſmodi in quantùm ſingularia, ſed in quantùm participant naturam ſpecificam talis cœli, lunæ, &c. ſub qua poſſet Deus alia indiuidua producere. His præſuppoſitis ſit:

SECTIO II.

De diuiſione ſcientiæ in ſubalternantem & ſubalternatam.

SCientia ſubalternata ſeu alteri ſubordinata dicitur illa quæ quoad ſua principia, ex quibus deducit concluſiones, dependet ab alia ſuperiori, quæ proinde dicitur ſcientia ſubalternans: ita vt principia ſubalternatæ vel ſint concluſiones in ſubalternante demonſtratæ, vt contingit in ſcientiis ſubalternante & ſubalternata naturalibus, concluſiones enim Phyſicæ e. g. ſunt principia Medicinæ, vnde dicitur ibi incipere Medicus vbi deſinit Phyſicus vel ſaltem per ſe cognoſcantur à ſubalternante ſubalternata verò non niſi ex coniunctione cum ſubalternante in eodem intellectu quo modo ſe habet Theologia noſtra reſpectu Theologiæ beatorum cui ſubordinatur. Vnde eo modo ſe habet ſcientia ſubalternans ad ſubalternatam, quo habitus primorum principiorum (qui eſt qualitas ſeu habilitas quæ-

dam incli nens intellectum ad aſſentiendum primis principiis indemonſtrabilibus, de quo aliquid in Morali dicetur) ſe habet ad ipſam ſcientiam ſubalternantem ſicut enim ex illis principiis per huiuſmodi habitum notis ſcientia ſubalternans deducit ſuas concluſiones, ita ſubalternata ex principiis aut concluſionibus cognitis à ſubalternante. Ex quibus infero, &

Dico primò : Scientia ſubalternata habet veram rationem ſcientiæ quando coniungitur ſubalternanti in eodem intellectu.

Probatur: quia procedit demonſtratiuè ſeu per principia neceſſaria cognita vt talia ab intellectu ſcientiā ſubalternante informato, quod patet in hoc exemplo deſumpto ex Perſpectiua Geometriæ ſubordinata, quæ hanc conficit demonſtrationem: Eo res apparent minores, quo minorem angulum faciunt in oculo: ſed res à longè viſæ faciunt in oculo minorem angulum: ergo res à longè viſæ apparent minores. Cuius ſyllogiſmi minorem probat Perſpectiua ex illo principio: Lineæ ductæ ab eadem baſi ad punctum diſtantius cauſant minorem angulum: quod principium demonſtratur in Geometria, & ex illo per huiuſmodi ſcientiam ſubalternantem cognito infert Perſpectiua propoſitionem intentam.

Dico ſecundò ſcientiam naturalem ſubalternatam in abſentia ſubalternantis non habere veram & eſſentialem rationem ſcientiæ, ſed ſolùm opinionis. Dixi, naturalem: vt exciperem Theologiam ſupernaturalem quæ ſubordinatur viſioni beatæ, ſeu Theologiæ beatorum, & tamen in abſentia illius habet veram rationem ſcientiæ in nobis, quia ſcilicet fides diuina, eo quòd infallibili Dei reuelationi innitatur, eſt certiſſima licet obſcura cognitio principiorum quæ clarè per ſcientiam beatorum cognoſcuntur, & ſupplet vices illius ſcientiæ ſubalternantis, non quidem quoad euidentiam: ſed quoad certitudinem, quæ ſufficit vt Theologia ſit ſcientia.

Probatur concluſio: Scientia eſt cognitio certa per demonſtrationem acquiſita (non addo, euidens, quia licet euidentia actualis requiratur ad perfectionem ſcientiæ, non tamen ad rationem eſſentialem illius, vt patet in Theologia noſtra:) atqui in abſentia ſubalternantis, ſubalternata non eſt cognitio certa per demonſtrationem acquiſita: ergo in abſentia ſubalternantis non habet rationem eſſentialem ſcientiæ probatur minor: Cognitio certa per demonſtrarionem acquiſita eſt illa quæ habetur per principia certa & neceſſaria cognita vt talia: atqui in abſentia ſcientiæ ſubalternantis intellectus non habet certitudinem principiorum ex quibus ſubalternata deducere debet ſuas concluſiones: ergo &c. Probatur minor: quia huiuſmodi principia non cognoſcuntur certò niſi per ipſam ſcientiam ſubalternantem cuius ſunt concluſiones, loquimur enim ſemper de ſcientia ſubalternante & ſubalternata ordinis naturalis: ergo intellectus carens ſcientia ſubalternante (putà Geometriâ) non habet certitudinem principiorum, ex quibus ſubalternata (putà Perſpectiua) deducere debet concluſiones.

Reſpondebis quòd ſicut Theologus per fidem Deo reuelanti adhibitam habet certitudinem principiorum ſeu articulorum ex quibus concluſiones Theologiæ deducuntur, & ideò Theologia eſt vera ſcientia, quia fides ſupplet vices ſcientiæ beatorum cui Theologia per ſe ſubordinatur; ita Perſpectiuus poterit habere certitudinem ſuorum principiorum per fidem adhibitam Geometræ docenti, adhibitam in quam illi non vt puro homini, ſub qua ratione e fallibilis, ſed vt magiſtro ſcientifico, quæ fides ſupplebit locum Geometriæ abſentis.

Sed contra: quia fides illa adhibita Geometræ non reddit intellectum diſcipuli omninò certum de principiis quæ ab illo addiſcit, poteſt enim rationabiliter dubitare vtrùm ille ipſe qui docet, habeat veram ſcientiam & certitudinem illorum: & ad ſum-

mum fides illa humana poterit reddere ipſum certum certitudine morali, qualis eſt ea qua credimus Romam eſſe ob teſtimonium multorum id aſſerentium; non verò certitudine Metaphyſica & omninò infallibili, quæ ad rationem eſſentialem ſcientiæ requiritur. Ex quibus patet diſparitas inter fidem diuinam, quæ adhibetur Deo omninò infallibili, & humanam quæ fallibilis eſt, quæ proinde ſupplere non poteſt vices ſcientiæ ſubalternantis. Ex quibus facile ſoluuntur argumenta quæ proponi poſſent, quæ ſunt ſatis inefficacia.

Ex dictis colliges diuiſionem ſcientiæ in ſubalternantem & ſubalternatam non eſſe diuiſionem ſcientiæ in communi, cùm multæ ſint quæ nec ſubalternantes ſunt nec ſubalternatæ, vt Logica, Metaphyſica, Moralis, & aliæ quæ nec ſumunt ſua ſua principia, ſaltem omnia, ab aliis ſcientiis, nec aliæ ab ipſis: ſed eſſe diuiſionem ſcientiæ ſubalternatim poſitæ, quæ in duo membra diuiditur, in ſubalternantem ſcilicet & ſubalternatam, quales ſunt Perſpectiua reſpectu Geometriæ, Muſica reſpectu Phyſicæ; hæ enim ſua omnia principia deſumunt ab illis, quod ad ſubalternationem ſeu dependentiam eſſentialem (de qua eſt ſermo) requiritur.

SECTIO III.

De diuiſione ſcientiæ in ſpeculatiuam & practicam.

Dico primò: Scientia naturalis adæquatè diuiditur in ſpeculatiuam & practicam, ita vt nulla ſit quæ ſub altero membro determinatè non contineatur. Dixi naturalis quia Theologia ſupernaturalis eſt ſimul ſpeculatiua & practica ob rationem in-

ſerius aſſignandam, atque adeò ſub illa diuiſione non comprehenditur, cùm differentiæ diuidentes nequeant vni & eidem membro competere.

Probatur concluſio: Scientia ſpeculatiua eſt illa quæ verſatur circa obiectum merè ſpeculabile à ſcientia, ſiſtitque in ſola veritatis contemplatione: practica verò eſt illa quæ agit de re operabili, id eſt, attingibili per actus voluntatis (ſub qua ratione dicitur operabilis moraliter) aut aliarum facultatum ab intellectu, nec ſiſtit in ſola contemplatione talis obiecti, ſed eam ordinat ad opus: atqui nulla aſſignari poteſt ſcientia ordinis naturalis quæ non verſetur circa obiectum vel merè ſpeculabile, vel operabile; & quæ vel non ſiſtit in ſola veritatis contemplatione, vel non vlterius tendat ad opus: eſt adæquata illa diuiſio. Probatur minor: quia verſari circa obiectum merè ſpeculabile ſiſtendo in ſola veritatis contemplatione, & verſari circa obiectum non merè ſpeculabile ſed operabile non ſiſtendo in ſola veritatis contemplatione ſed vlteriùs tendendo ad opus, ſunt differentiæ quæ contradictionem inuoluunt, inter quas proinde non datur medium: ergo cuilibet ſcientiæ naturali debet altera ſeorſim competere.

Ratio autem eſt cur vtraque illa perfectio ſcientiæ ſpeculatiuæ & practicæ conueniat Theologiæ ſupernaturalis, eſt quia habet pro obiecto Deum ſub ratione deitatis, qui ob ſuam infinitatem eſt obiectum ſpeculabile ſimul & operabile (intellige, operabile non phyſicè ſed moraliter, id eſt attingibile per actus voluntatis, putà amoris, timoris, & ſimiles:) ſpeculabile quidem quatenùs eſt prima veritas in cuius contemplatione poteſt intellectus quiſcere; operabile verò ſenſu explicato, quatenus eſt prima & ſumma bonitas ac vltimus finis in cuius cognitione non ſiſtit Theologia quantum eſt de ſe, ſed ad ad amorem eius dirigit. At verò ſcientiæ naturales habent pro obiecto aliquid finitum & limitatum in quo non poſſunt ſub vna & eadem ratione formari &

adunari rationes illæ ſpeculabilis & operabilis, ob nimiam illius obiecti limitationem, ſicut adunantur in Deo ſub vna ratione deitatis: vnde licet rationes illæ ſcientiæ ſpeculatiuæ & practicæ in ſcientiis naturalibus & inferioribus, in quibus reperiuntur ſolùm formaliter & cum limitatione opponantur; non tamen in Theologia quæ eſt ſuperioris ordinis, in qua formaliter eminenter ac ſine limitatione inueniuntur.

Obiicies: Poteſt quis addiſcere Phyſicam, vt ex rerum naturalium ac mobilium cognitione ducatur in amorem primi Motoris, & è contra ſtudere Morali vt ſiſtat in ſola contemplatione obiecti illius: ergo indifferenter poteſt quælibet ſcientia eſſe ſpeculatiua aut practica ex intentione addiſcentis, ſubindéque non continetur determinatè ſub altero membro.

Reſpondeo negando conſequentiam: quia ſcientia non dicitur ſpeculatiua aut practica ex fine operantis ſeu addiſcentis, qui ſe habet per accidens; ſed ex ſolo fine proprio ad quem ex ſua natura ordinatur, qui dicitur finis operis, id eſt, ipſiuſmet ſcientiæ, & eſt mera ſpeculatio in ſcientia ſpeculatiua, & in practica operatio. Ex quibus infero &c.

Dico ſecundò, diuiſionem ſcientiæ naturalis in ſpeculatiuam & practicam eſſe eſſentialem.

Probatur quia ſcientia ſpeculatiua ordinis naturalis differt eſſentialiter à practica: ergo diuiſio ſcientiæ in ſpeculatiuam & practicam eſt eſſentialis: Probatur antecedens: Differentia ſcientiarum petita ex diuerſitate obiectorum & finium ad quos per ſe primò ordinantur, eſt eſſentialis: atqui talis eſt differentia ſcientiæ ſpeculatiuæ à practica: ergo. Maior conſtat: quia ſpecificantur penes illa. Minor etiam ex præcedenti concluſione relinquitur nota.

Obiicies primò: Practicum & ſpeculatiuum ſunt differentiæ accidentales reſpectu intellectus, qui vnus & idem cùm ſit, diuiditur in ſpeculatiuum &

ſerius aſſignandam, atque adeò ſub illa diuiſione non comprehenditur, cùm differentiæ diuidentes nequeant vni & eidem membro competere.

Probatur concluſio: Scientia ſpeculatiua eſt illa quæ verſatur circa obiectum merè ſpeculabile à ſcientia, ſiſtitque in ſola veritatis contemplatione: practica verò eſt illa quæ agit de re operabili, id eſt, attingibili per actus voluntatis (ſub qua ratione dicitur operabilis moraliter) aut aliarum facultatum ab intellectu, nec ſiſtit in ſola contemplatione talis obiecti, ſed eam ordinat ad opus: atqui nulla aſſignari poteſt ſcientia ordinis naturalis quæ non verſetur circa obiectum vel merè ſpeculabile, vel operabile; & quæ vel non ſiſtit in ſola veritatis contemplatione, vel non vlterius tendat ad opus: eſt adæquata illa diuiſio. Probatur minor: quia verſari circa obiectum merè ſpeculabile ſiſtendo in ſola veritatis contemplatione, & verſari circa obiectum non merè ſpeculabile ſed operabile non ſiſtendo in ſola veritatis contemplatione ſed vlteriùs tendendo ad opus, ſunt differentiæ quæ contradictionem inuoluunt, inter quas proinde non datur medium: ergo cuilibet ſcientiæ naturali debet altera ſeorſim competere.

Ratio autem eſt cur vtraque illa perfectio ſcientiæ ſpeculatiuæ & practicæ conueniat Theologiæ ſupernaturalis, eſt quia habet pro obiecto Deum ſub ratione deitatis, qui ob ſuam infinitatem eſt obiectum ſpeculabile ſimul & operabile (intellige, operabile non phyſicè ſed moraliter, id eſt attingibile per actus voluntatis, putà amoris, timoris, & ſimiles:) ſpeculabile quidem quatenùs eſt prima veritas in cuius contemplatione poteſt intellectus quiſcere; operabile verò ſenſu explicato, quatenus eſt prima & ſumma bonitas ac vltimus finis in cuius cognitione non ſiſtit Theologia quantum eſt de ſe, ſed ad ad amorem eius dirigit. At verò ſcientiæ naturales habent pro obiecto aliquid finitum & limitatum in quo non poſſunt ſub vna & eadem ratione formari &

adunari rationes illæ ſpeculabilis & operabilis, ob nimiam illius obiecti limitationem, ſicut adunantur in Deo ſub vna ratione deitatis: vnde licet rationes illæ ſcientiæ ſpeculatiuæ & practicæ in ſcientiis naturalibus & inferioribus, in quibus reperiuntur ſolùm formaliter & cum limitatione opponantur; non tamen in Theologia quæ eſt ſuperioris ordinis, in qua formaliter eminenter ac ſine limitatione inueniuntur.

Obiicies: Poteſt quis addiſcere Phyſicam, vt ex rerum naturalium ac mobilium cognitione ducatur in amorem primi Motoris, & è contra ſtudere Morali vt ſiſtat in ſola contemplatione obiecti illius: ergo indifferenter poteſt quælibet ſcientia eſſe ſpeculatiua aut practica ex intentione addiſcentis, ſubindéque non continetur determinatè ſub altero membro.

Reſpondeo negando conſequentiam: quia ſcientia non dicitur ſpeculatiua aut practica ex fine operantis ſeu addiſcentis, qui ſe habet per accidens; ſed ex ſolo fine proprio ad quem ex ſua natura ordinatur, qui dicitur finis operis, id eſt, ipſiuſmet ſcientiæ, & eſt mera ſpeculatio in ſcientia ſpeculatiua, & in practica operatio. Ex quibus infero &c.

Dico ſecundò, diuiſionem ſcientiæ naturalis in ſpeculatiuam & practicam eſſe eſſentialem.

Probatur quia ſcientia ſpeculatiua ordinis naturalis differt eſſentialiter à practica: ergo diuiſio ſcientiæ in ſpeculatiuam & practicam eſt eſſentialis: Probatur antecedens: Differentia ſcientiarum petita ex diuerſitate obiectorum & finium ad quos per ſe primò ordinantur, eſt eſſentialis: atqui talis eſt differentia ſcientiæ ſpeculatiuæ à practica: ergo. Maior conſtat: quia ſpecificantur penes illa. Minor etiam ex præcedenti concluſione relinquitur nota.

Obiicies primò: Practicum & ſpeculatiuum ſunt differentiæ accidentales reſpectu intellectus, qui vnus & idem cùm ſit, diuiditur in ſpeculatiuum &

practicum tanquam ſubiectum in accidentia : ergo erunt etiam accidentales reſpectu ſcientiæ naturalis.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſcriminis eſt quia operabile & merè ſpeculabile ſe habent per accidens reſpectu intelligibilis, vt ſic quod eſt obiectum formale intellectus : per ſe verò reſpectu obiecti ſcientiæ, quæ per ſe primò reſpicit obiectum vel ſub ratione purè ſpeculabilis, vel operabilis ; atque ita practicum & ſpeculatiuum ſe habent per ſe reſpectu ſcientiæ.

Obiicies ſecundò : Differentiæ eſſentiales non reperiuntur extra genus quod diuidunt : atqui ratio practici & ſpeculatiui reperiuntur extra ſcientiam, conueniunt enim aliis habitibus: habitus enim primorum principiorum ſpeculabilium, qui dicitur intellectus ſeu intelligentia, eſt ſpeculatiuus ; ſynderesis verò, quæ verſatur circa prima principia practica, eſt habitus practicus, ſimiliter prudentia & ars : ergo non ſunt differentiæ eſſentialiter diuidentes ſcientiam naturalem.

Reſpondeo conceſſa maiore diſtinguendo minorem : Ratio practici & ſpelatiui ſcientifici ſeu per demonſtrationem procedentis, nego, non ſcientifici, concedo : priori modo practicum & ſpeculatiuum ſunt differentiæ diuiſiuæ ſcientiæ naturalis.

SECTIO IV.

De Vnitate ſcientiarum.

SVppono quòd quamuis ſcientia indigeat ſpeciebus intelligibilibus repræſentatiuis rerum circa quas verſatur, non conſiſtit tamen in ſola illarum ſpecierum etiam ordinatarum collectione, ſed in qualitate aliqua permanenti relicta ex aſſenſibus

ſcientifi

ſcientificis, & intellectum ad ſimiles aſſenſus facilè impoſterum eliciendos inclinante. Ratio eſt quia ſpecies habent ſolùm repræſentare obiectum, ſcientia verò attingere & cognoſcere illud: ergo eſt qualitas diſtincta ab illis. Hoc poſito.

Dico quamlibet ſcientiam totalem (id eſt, quæ totale aliquod obiectum, putà ens naturale aut mobile reſpicit) eſſe vnum ſpecie atoma habitum. Hanc concluſionem docet nobiſcum Suares, & ex ſuppoſitione illius hic probandæ oſtendimus in Phyſica contra illum autorem quamlibet ſcientiam eſſe vnam ſimplicem qualitatem, non compoſitam ex pluribus partialibus, ſed per diuerſos modos perfectionis ad diuerſa obiecta partialia ſe extendentem, quia aliàs non eſſet ens per ſe nec vera ſpecies qualitatis, quod tamen prædictus author admittit. Vt ergo probetur huiuſmodi concluſio.

Præmittendum eſt primò ex dictis in Phyſica de ſpecificatiuo potentiarum & habituum, ſcientiam ſumere ſuam vnitatem ſpecificam ab obiecto formali, atque adeò vt ſcientia ſit vnus ſpecie habitus, obiectum formale eius debere eſſe vnum in ratione obiecti, ſeu reſpici ſub vna ratione formali: eſt autem duplex ratio formalis obiecti cuiuſlibet, alia enim dicitur ratio formalis *qua*, alia ratio formalis *ſub qua*. Ratio formalis *qua* eſt illa quæ per ſe primò attingitur, vt color à viſu, ens mobile à Phyſica: ratio formalis *ſub qua* eſt ea quâ mediante ratio *qua* attingitur, vt color mediante luce, ens mobile mediis principiis quibus de ipſo proprietates demonſtrantur, & ſic de aliis. Quæ diſtinctio obiecti formalis coincidit cum alia quâ diuiditur in obiectum formale *quod* & *quo*.

Præmittendum eſt ſecundò rationem formalem *qua* obiecti intellectus eſſe ens vniuerſaliſſimè ſumptum, rationem verò *ſub qua* eiuſdem eſſe intelligibilitatem per abſtractionem à materia. Eſt autem quadruplex abſtractio à materia: prima eſt abſtractio à materia ſingulari: ſecunda, à materia non

ſolùm ſingulari ſed etiam ſenſibili : tertia, non ſolùm à materia ſingulari & ſenſibili, ſed etiam à materia intelligibili, id eſt ab omni corporeitate, ſeu à materia prima (quæ dicitur materia intelligibilis, quia à ſolo intellectu per ſe percipi poteſt & non à ſenſu :) quarta, non ſolùm à materia ſingulari, ſenſibili, & intelligibili, ſed etiam à materia metaphyſica, id eſt ab omni potentialitate, ſeu compoſitione ex actu & potentia.

Iſta autem quadruplex abſtractio, quæ materialiter ſe habet reſpectu intelligibilis vt ſic ſeu obiecti intellectus, ſe habet formaliter reſpectu obiecti ſcientiæ, & conſtituit quatuor ſcientiarum genera. Primum & infimum genus ſcientiæ eſt naturalis complectens ſub ſe Phyſicam, Medicinam, Muſicam Perſpectiuam, Aſtrologiam, Coſmographiam, Geographiam, Hydrographiam, & ſimiles, quæ verſantur circa ens materiale ſenſibile abſtrahens ſolùm à ſingularitate. Secundum genus eſt Mathematica continens ſub ſe Geometriam & Arithmeticam, quæ conſiderant ens materiale abſtrahens à ſenſibilitate, reſpiciunt enim quantitatem non inquantùm eſt accidens phyſicum qualitatibus ſenſibilibus concretum, ſed ſecundùm ſe prout eſt extenſa, vel continuè in longum, latum, aut profundum ; vel diſcretè & , in ratione numeri. Tertium genus eſt metaphyſica, ſumendo latiùs hoc nomen pro ſcientia quæ conſiderat ens abſtrahens à materia intelligibili ſeu à corporeitate, & ſub ſe continet ipſam Metaphyſicam propriè dictam, & Logicam. Quartùm genus eſt ſcientia diuina vt continet ſub ſe Theologiam beatorum & noſtram, quæ conſiderant ens abſtrahens ab omni materia etiam metaphyſica, id eſt, ab omni potentialitate, ſeu compoſitione ex actu & potentia (quæ dicitur materia metaphyſica, quia in obiecto Metaphyſicæ includitur :) reſpiciunt enim Deum vt eſt à ſe & vt actum puriſſimum.

Vnde habes duplicem eſſe rationem *ſub qua* ſcien-

tiæ: aliam genericam, nempe abſtractionem à materia, in qua plures ſcientiæ conueniunt: aliam nempe peculiarem illam rationem *ſub qua* vnaquaque ſcientia per ſe primò reſpicit ſuum obiectum, ſeu quod in idem redit, ipſa principia per quæ demonſtrat concluſiones, quatenùs conueniunt in illa ratione formali, putà principia per quæ procedit Phyſica quatenùs conueniunt in ratione principiorum entis mobilis. His poſitis.

Probatur concluſio: Ad hoc vt potentia aliqua aut ſcientia ſit vna ſpecie atoma, ſufficit quod, quatenuis reſpiciat plura in ſe entia diuerſa, illa tamen attingat ſub eadem ratione formali omnibus communi: atqui Phyſica v. g. reſpicit omnia obiecta partialia ſub vna ratione omnibus communi: ergo eſt vna ſpecie atoma. Maior eſt euidens: ideò enim intellectus noſter eſt vna ſpecie atoma facultas, quia reſpicit omnia per ſe primò ſub vna ratione intelligibilis. Minor verò probatur: Phyſica enim reſpicit per ſe primò omnia obiecta partialia à materia ſingulari abſtracta ſub vna ratione entis mobilis: & idem argumentum fieri poteſt de aliis ſcientiis.

Obiicies primò: Ad vnitatem ſpecificam ſcientiæ, requiritur vnitas ſpecifica obiecti: atqui obiectum Phyſicæ v. g. non eſt vnum ſpecie atoma: ergo. Probatur minor: mobile enim vt ſic in plures ſpecies mobilium diuiditur.

Reſpondeo primò negando abſolutè maiorem, ſufficit enim quòd obiectum reſpiciatur per ſe primò ſub vna ratione formali, ſiue ſpecifica, ſiue generica, ſiue etiam analoga vt patet de obiecto intellectus. Ratio huius eſt, quia ſpecificatiuum extrinſecum, quale eſt obiectum, non debet neceſſariò habere in ſe id quod tribuit ſpecificato, vt aliàs diximus dum de obiecto Logicæ quod ipſi tribuit differentiam realem (non per modum cauſantis illam, ſed ſolùm extrinſecè terminantis, cùm ea nihil aliud ſit quàm tranſcendentalis ordo ad ipſum,) cùm tamen realitatem in ſe non habeat.

Reſpondeo ſecundò diſtinguendo maiorem : Requiritur quod obiectum ſit vnum ſpecie , in eſſe entis, nego : in eſſe obiecti , concedo : dicitur autem vnum ſpecie atoma in eſſe obiecti , quatenùs ſub eadem ratione formali omnibus obiectis partialibus communi per ſe primò reſpicitur ; & hoc modo obiectum Phyſicæ & cuiuſlibet alterius ſcientiæ aut facultatis , etiam intellectus , eſt vnum ; ſolùmque materialiter & in eſſe entis diuiditur.

Obiicies ſecundò : Vt obiectum ſcientiæ ſit vnum in eſſe obiecti , debent omnia obiecta partialia conuenire in vna ratione *ſub qua* atomâ : atqui non conueniunt in vna ratione ſub qua niſi generica, putà in abſtractione à materia ſingulari : ergo.

Reſpodeo negando minorem : ratio enim entis mobilis v. g. ſub qua Phyſica attingit omnes partes ſui obiecti, eſt ſpecifica ſenſu explicato.

Dices : Ratio ſub qua peculiaris ſunt principia per quæ probat concluſiones : ſed illa ſunt diuerſiſſima in eadem ſcientia totali , putà in Phyſica : ergo,

Reſpondeo eodem modo, eſſe diuerſiſſima in eſſe entis ; in eſſe verò ſcibilis ſeu obiecti eſſe vnam rationem *ſub qua*, quatenùs conueniunt in vna ratione principiorum entis mobilis.

Alias obiectiones, quæ contra ſpecificam vnitatem vel ſimplicitatem ſcientiarum fieri poſſent , vide in Phyſica vbi de augmento extenſiuo qualitatum.

APPENDIX.

De ente rationis.

HACTENVS de ente reali quod eſt obiectum primarium Metaphyſicæ: iam de ente rationis, ſub titulo appendicis, vti de obiecto ſecundario ſubiungenda ſunt nonnulla: de ente inquam rationis in communi, nam in particulari de ente rationis directiuo operationum intellectus agit per ſe Logica.

SECTIO I.

An detur, & quid ſit ens rationis.

NOta tripliciter poſſe aliquid dici ens rationis, ſcilicet effectiuè, ſubiectiuè, obiectiuè. Ens rationis effectiuè dicitur illud omne quod efficitur à ratione ſeu intellectu quo ſenſu actus intellectus, ſpecies expreſſæ, habitus acquiſiti, & alia huiuſmodi quæ ab intellectu producuntur, entia rationis appellari poſſunt. Ens rationis ſubiectiuè dicitur id quod inhæret rationi & ſubiectatur in illa, quemad-

admodum albedo in pariete ; qua ratione tum ea quæ diximus produci ab intellectu & eſſe entia rationis effectiuè, tum alia quæ ei ab extrinſeco adueniunt, vt ſunt ſpecies impreſſæ & habitus infuſi, dici poſſunt entia rationis ſubiectiuè, quia ſcilicet intellectui tanquam proprio ſubiectò inhærent. Denique ens rationis obiectiuè dicitur id omne quod intellectui obiicitur conſiderandum & ab eo cognoſcitur.

Entia rationis quæ dicuntur talia effectiuè dumtaxat aut ſubiectiuè, ſunt vere entia realia, quandoquidem nemine de eis cogitante vere exiſtunt & ſunt à parte rei. Quoad illa verò quæ ſunt obiectiue in intellectu, diſtinguendum eſt : vel enim præter illud eſſe obiectiuum quod habent dum actu conſiderantur, habent inſuper aliquod eſſe extra intellectum,& ſic ſunt vere entia realia : vel habent tantum illud eſſe obiectiuum, ita vt intellectu de eis non cogitante penitus eſſe deſinant, & hæc ſola ſunt propriè entia rationis de quibus quæritur in titulo an ſint admittenda, & in quo ratio illorum conſtat. Pro reſolutione.

Dicó primò admittenda eſſe entia rationis.

Probatur : Nomine entis rationis intelligitur illud quod habet tantum eſſe obiectiuè in intellectu: atqui illud eſt admittendum : ergo. Probatur minor : multa enim concipit intellectus noſter quæ nullum habent aut habere poſſunt eſſe extra ipſum & in rerum natura, puta chimæras & alia figmenta, item negationes & priuationes inſtar formarum poſitiuarum ſubiecta afficientium, vt tenebras ad modum cuiuſdam formæ nigræ & obſcuræ in aëre, cæcitatem inſtar cuiuſdam malignæ qualitatis in oculo ; cùm tamen reipſa non ſint aliquid, ſed mera non entia, ſeu remotiones formarum : item concipit in Deo relationem ad creaturas, in animali ad ſpecies, & alia huiuſmodi, quæ à parte rei & extra ipſum nullatenus reperiuntur ergo, &c.

Obiicies : ens rationis nec eſt aliquid produ-

ctum, nec aliquid improductum : ergo non datur. Probatur antecedens ; & primo quod non ſit quid improductum, patet, quia nihil improductum niſi Deus : quod verò, nec productum ; probatur : quod enim non habet cauſam, non eſt productum : ens rationis non habet cauſam : ergo. Probatur minor : quia vel illa cauſa eſſet vera & realis, vel non ſed fictitia : ſi ſecundum, ergo non vere influit, & ſic ens rationis vere non eſt quid productum : ſi primum, contra, Cauſa vera & realis dicitur quæ verè & realiter influit in effectum, ſed nulla cauſa vere & realiter influit in ens rationis, aliàs eſſet verus & realis effectus : ergo.

Reſpondeo quòd ſicut ens rationis non eſt proprie ens aut effectus, ſed tantum ſimilitudinariè & improprie, ita nec habet cauſam proprie dictam, quæ dicitur ea quæ proprie & realiter influit in effectum, ſed ſolùm improprie dicta hoc eſt facultatem cognoſcitiuam aut intellectiuam, quæ eâ ſolum ratione dicitur influere in ipſum, quatenus ex cognitione rerum aliter ac ſunt in ſe, intelligitur in eis reſultare & veluti pullulare quoddam eſſe fictum quod habet tantum eſſe obiectiue in ipſa, quod eſt influere improprie & per quandam veluti reſultantiam. In forma ergo reſpondeo ens rationis eſſe quid productum ſuo modo & improprie, ſicut improprie eſt ens & effectus. Ad probationem in contrarium reſpondeo habere veram cauſam & realem, ſed impropriè dictam modo explicato : vnde diſtinguo quod ſubiungitur, & concedo de cauſa vera & reali proprie dicta, quod verè & realiter influat : nego autem de improprie dicta.

Dico ſecundò : ens rationis non conſiſtit formaliter in denominatione extrinſeca, etiam rei cognitæ aliter ac eſt in ſe ; ſed in aliquo eſſe aut entitate ficta quam intellectus apprehendit in re ipſa cognita dum eam cognoſcit aliter ac eſt in ſe, quæque intelligitur rem illam veluti intrinſece denominare.

Notum eſt denominationem extrinſecam genera-

liter dici eam quæ petitur à forma exiſtente extra ſubiectum denominatum ; vt putà eſſe viſum in pariete, à viſione reſidente non in ipſo ſed in animali ; eſſe dextrum aut ſiniſtrum in ligno aut columna, à dextra aut ſiniſtra hominis, & ſic de aliis : denominationem verò intrinſecam eſſe illam quæ ſumitur à forma ipſi ſubiecto intrinſeca, v.g. eſſe album in pariete, ab albedine exiſtente in illo ; eſſe videntem, à viſione exiſtente in ipſo oculo, ex quo exemplo patet eandem formam duas illas poſſe interdum tribuere denominationes, intrinſecam ſubiecto cui ineſt, putà oculo, extrinſecam alteri circa quod verſatur, putà parieti. Ex quibus.

Probatur concluſio, tum contra eos qui generaliter putant omnem denominationem extrinſecam eſſe ens rationis, tum contra alios qui hoc limitant ad denominationes petitas ab actu intellectus, tum denique aduerſus illos qui id adhuc magis reſtringunt ad eàs quibus res denominantur cognitæ ab intellectu, non quomodocumque, ſed aliter ac ſunt in ſe. Sic autem contra arguo : ens rationis dicitur illud quod habet tantum eſſe obiectiue in intellectu : ſed nulla huiuſmodi denominatio extrinſeca habet tantum eſſe obiectiue in intellectu, ſed in rerum natura, intellectu de ipſa non cogitante ; etenim parietem eſſe viſum, columnàm eſſe dextram, animal eſſe cognitum, etiam aliter ac eſt, putà in ordine ad ſua inferiora ad quæ à parte rei non dicit ordinem cùm ſit idem cum eis ; totum hoc eſt à parte rei & intellectu non cogitante de vllo huiuſmodi : cuius ratio eſt quia denominationes huiuſmodi duo ſolùm important, quæ reuera ſunt etſi non obiiciantur intellectui conſideranda, nempe rem ipſam quæ denominatur, & formam extrinſecam, putà dextram animalis, viſionem, aut actum ipſum intellectus rem illam denominantem.

Dixi in concluſione, *formaliter* : nam cauſaliter dici poteſt ens rationis conſiſtere in denominatione extrinſeca rei cognitæ aliter ac eſt in ſe : etenim per

illam cognitionem qua animal v. g. comparatur ad inferiora quáue denominatur extrinſece cognitum in ordine ad illa, cauſatur in eo aut veluti reſultat ordo ille ad inferiora, in quo ſolo conſiſtere poteſt illud ens rationis quod tunc fit, cùm ibi nihil aliud aſſignari queat quod habeat eſſe tantum obiectiuè in intellectu, quàm ordo ille in animali apprehenſus.

Ex quibus vniuerſaliter probatum manet, quod ſubdidimus in concluſione, ens ſcilicet rationis conſiſtere in illo eſſe ficto quod in rebus ipſis intelligimus quaſi eas intrinſece denominans, quod dum concipitur ad modum cuiuſdam ſubſtantiæ, appellari poteſt ſubſtantia ficta, aut rationis: cum ad modum quantitatis, magnitudinis vel ſpatij, quantitas vel magnitudo ficta aut ſpatium fictum vel imaginarium, quale concipimus extra cœlos; cùm ad modum qualitatis aut alterius formæ abſolutæ, (vt cæcitas in oculo, tenebræ in aëre) forma ficta. ficta qualitas; cùm inſtar relationis aut ordinis vnius ad alterum, relatio rationis, aut ordo fictus; & ſic de aliis nomine eorum realium entium ad quorum inſtar concipiuntur aut efformantur, appellandis: illud inquam probatum manet ex ratione dicta, quod ſcilicet nihil aliud ab huiuſmodi entitate ficta in rebus ipſis apprehenſa aſſignari poſſit quod habeat eſſe tantum obiectiue in intellectu.

Obiicies: denominatio extrinſeca non eſt aliquid reale in re denominata: ergo eſt ens rationis: ergo in ſola denominatione extrinſeca dextri v. g. in columna, viſi in pariete, cogniti in animali aut in aliis (præſertim dum cognoſcuntur aliter ac ſunt in ſe) conſiſtet ens rationis, non verò in illo eſſe ficto ipſis veluti inhærente vt nos volumus.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: non eſt aliquid reale, intrinſecum rei illi, concedo: extrinſecum, nego eſt enim ipſa forma aut res extrinſecè denominans, puta dextra animalis, viſio aut cognitio. Vnde negantur conſequentiæ illæ.

SECTIO II.

Per quam potentiam fiat ens rationis.

DIco primò ſolùm intellectum efformare ens rationis, non verò ſenſus ſiue internos ſiuè externos, & multò minus voluntatem.

Probatur : Ab illa duntaxat potentia efformari poteſt ens rationis, à qua poteſt cognoſci, cùm totum eius eſſe conſiſtat in hoc quod cognoſcatur, ſeu quod habeat eſſe obiectiuè in potentia cognoſcente, ſed à ſolo intellectu, non verò à ſenſibus aut voluntate cognoſci poteſt : ergo. Minor probatur, & primò de voluntate res eſt nota, cum voluntas non ſit potentia cognoſcitiua ſed cœca ductum rationis ſequens : de facultatibus verò ſenſitiui ſic probo : Ens rationis (vt probatum eſt ſectione ſuperiori) conſiſtit in aliquo eſſe ficto quod apprehendimus in rebus dum eas cognoſcimus aliter ac ſunt in ſe : ſed huiuſmodi eſſe fictum non poteſt cognoſci aut opprehendi à facultatibus ſenſitiuis ſiue internis ſiue externis, ſed à ſolo intellectu : ergo ab illo ſolo & non à ſenſibus poteſt ens rationis attingi aut cognoſci. Probatur minor : Nulla potentia poteſt ferri extra ſuum obiectum, cùm per ordinem ad illud ſpecificetur & diſtinguatur ab aliis : ſed illud eſſe fictum etſi contineatur intra limites obiecti intellectus, quod eſt ens in tota ſua ampliſſima latitudine, eſt tamen extra obiectum cuiuſlibet ſenſus, cùm ſit quid valdè ſpirituale, obiectum verò cuiuſque ſenſus ſit quid materiale & ſenſibile, ſicut ipſe ſenſus ſiue internus ſiue externus materialis eſt &

corpori affixus : ergo, &c.

Obiicies primò : Apprehendere rem aliter ac eſt in ſe, eſt facere ens rationis : atqui ſenſus apprehendunt ſæpè res aliter ac ſunt in ſe : ergo. Probatur minor, & primò de ſenſibus externis : oculus enim apprehendit Solem vt globum vnius palmi, qui tamen multoties excedit terram ; item per vitrum viride videt omnes alios colores quaſi eſſent virides: ſimilitèr guſtus febricitantis ſapores dulces putat amaros, & ſic de aliis. Secundò de ſenſibus internis, ſic probo : quia illi componunt quæ non ſunt à parte rei compoſita, ordinant aut referunt quæ non ſunt relata aut ordinata : phantaſia enim v. g. ex præconceptis ſpeciebus montis & auri componit & fingit montem aureum : æſtimatiua iudicat circa ſingularia ſenſibilia & ex terminis ſingularibus format propoſitiones ſingulares, ſicut intellectus ex vniuerſalibus vniuerſales, inquit D. Thomas : item memoria diſcurrit circa eadem & in illis format argumentationes ; quod eſt ordinare quæ non ſunt ordinata aut relata à parte rei, nempe prædicatum ad ſubiectum, antecedens ad conſequens : ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem : Apprehendere rem aliter, poſitiuè, concipiendo ſcilicet aliquid in ipſa quod in ipſa non eſt, concedo ; hoc enim eſt apprehendere illud eſſe fictum in quo diximus conſiſtere ens rationis : Apprehendere rem aliter, negatiuè ſolùm, non apprehendendo ſcilicet eam vt in ſe eſt, abſque eo tamen quod apprehendatur aliquid in ea quod in ea non ſit, nego : hoc autem ſolùm poſteriori modo apprehendunt ſenſus res aliter ac ſunt, non autem priori : per quod patet ad minorem : ad cuius primam probationem reſpondeo oculum apprehendere Solem vt globum vnius palmi, ſolùm negatiuè, quatenùs non apprehendit vt maiorem ; non verò poſitiuè, quaſi paruitatem illam vt in ipſo Sole exiſtentem apprehendat ; ſicut nec apprehendit viriditatem illam in huiuſmodi coloribus, nec guſtus amaritudinem in ſaporibus dul-

cibus ſed ſolùm non apprehendunt eos vt in ſe ſunt, ſed prout repræſentatur, ob medij ſcilicet illis qualitatibus, id eſt viriditate amaritudine præoccupati indiſpoſitionem. Ad ſecundam verò probationem reſpondeo illos ſenſus internos, etſi in homine habeant huiuſmodi actus componendi, iudicandi, diſcurrendi, ob excellentiam ſpecialem quam in eo habent ex coniunctione cum intellectu ſeu radicatione in eadem anima cum ipſo, qua de cauſa diuerſis etiam in nobis inſigniuntur nominibus (phantaſia enim in nobis appellatur imaginatiua, æſtimatiua cogitatiua, memoria reminiſcentia, vt in libris de anima diximus) non habent tamen etiam in nobis tantam excellentiam & ſpiritualitatem vt ad illud eſſe fictum, in quo conſiſtit ens rationis, pertingere queant, cùm ob ſuam tenuiſſimam entitatem vix ab ipſo etiam intellectu attingi poſſit. Vnde, vt in eadem ſiſtamus ſolutione, dicendum eſt huiuſmodi ſenſus (exercendo præfatos actus,) componere, referre, aut ordinare, non poſitiuè, quaſi compoſitionem ſeu vnionem aut ordinem illum in rebus apprehendant, ſed ſolum negatiuè quatenus non cognoſcunt res illas vt non vnitas, non compoſitas, non ordinatas. Vel aliis terminis dicendum ſenſus illos componere, referre, aut ordinare materialiter ſolùm applicando vnum alteri, aut ex vno aliud deducendo; non formaliter, apprehendendo vnionem illam aut ordinem fictum. Quod adhuc clarius explicari poteſt dicendo ſenſus illos componere, ordinare aut referre ex parte ſolùm cognoſcentis ſeu cognitionis, quatenus ſimul apprehendunt diuerſas naturas quaſi eſſent vna, aut vnum applicant alteri, vel ex vno aliud deducunt; non verò ex parte rei cognitæ, apprehendendo in rebus ipſis vnionem illam vt dixi, vel ordinem ſequelæ vnius ex alio.

Obiicies ſecundò: Voluntas nonnunquam ordinat media ad finem, ad quem ſecundum ſe non ordinantur, putà eleemoſynam ad vanam gloriam: ergo format relationem rationis.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens : Ordinat formaliter : nego, hoc enim eſt proprium intellectus qui cognoſcit proportionem mediorum ad finem: præſuppoſitiuè, concedo, id eſt medium illud iam ab intellectu præſuppoſitum ordinatum eligit & aſſumit. Vnde nego conſequentiam, relatio enim rationis non fit niſi à facultate quæ formaliter ordinat, ordinemque illumque apprehendit.

Dico ſecundò ſolum intellectum humanum efformare ens rationis, diuinum verò aut Angelicum nequaquam.

Probatur : Ens rationis non efformatur niſi cognoſcendo res aliter ac ſunt in ſe, apprehendendo in ipſis aliquid quod in ipſis non eſt : atqui ſolus intellectus humanus cognoſcit hoc modo res aliter ac ſunt in ſe, non verò diuinus aut Angelicus : ergo &c. Probatur minor : & primò de intellectu diuino : quia ille cognoſcit res modo perfectiſſimo : ergo prout ſunt in ſe: cognoſcere enim aliter ac ſunt in ſe dicit imperfectionem quæ in intellectum infinitè perfectum, qualis eſt diuinus, cadere non poteſt. Confirmatur : Illud dicit imperfectionem, cuius oppoſitum dicit perfectionem : ſed cognoſcere res prout ſunt in ſe dicit perfectionem : ergo cognoſcere eas aliter ac ſunt, in eiſque aliquid fingere dicit imperfectionem.

Dices, id eſſe verum quando ſunt cognoſcibiles prout ſunt, ſecus ſi ex parte ſui id habeant quod nequeant cognoſci niſi quodammodo aliter quàm in ſe ſunt attingantur, & aliquid in ipſis apprehendatur quod reuera in eis non eſt à parte rei : tales autem ſunt multæ res, vt ipſamet eſſentia diuina quæ non poteſt perfectè cognoſci vt cauſa, vt idea creaturarum, vt participabilis ab ipſis, niſi comparando eam ad ipſas, atque adeò apprehendendo in ea aliquem ordinem aut relationem ad illas, qui tamen à parte rei ipſi non conuenit, aliàs eſſet mutata in tempore recipiendo huiuſmodi ordinem poſitis à parte rei creaturis ad quas terminatur : item negationes

& priuationes concipi non poſſunt niſi inſtar formarum poſitiuarum, cùm quidquid ab intellectu percipitur, debeat eſſe ens aut inſtar entis apprehendi, aliàs ferretur extra ſuum obiectum quod eſt ens vt ſic Atque ita licet intellectus diuinus non faciat entia rationis purè fictitia, nec etiam logicalia ſine quibus res poſſunt ab ipſo perfectè cognoſci, efficiet tamen negationes & priuationes, & ſaltem reſpectus ideales ſuæ eſſentiæ ad creaturas, ſine quibus non videntur ea poſſe perfectè cognoſci.

Sed contra: quia nihil eſt quod quantum eſt ex parte ſui non ſit cognoſcibile vt in ſe eſt, præſertim ab intellectu perfectiſſimo & infinito, qualis eſt intellectus diuinus: ergo reſponſio nulla. Probatur antecedens in eiſdem exemplis in quibus eſt totum momentum difficultatis: nam licet eſſentia diuina non ſit cognoſcibilis inquantum cauſa aut idea creaturarum ab ipſis participabilis, niſi per comparationem ad ipſas, per hoc tamen præciſè non cognoſcitur aliter quàm ſit in ſe, quia reuera in ratione ideæ & cauſæ eſt reſpectiua ad illas, non ſecundum dici aut cognoſci, ſiquidem cauſa vt cauſa, idea vt idea, cùm neceſſariam habeat cum eis cum effectibus aut rebus ideatis productis vel producibilibus connexionem, neceſſariò eas connotat, nec poteſt niſi per illas intelligi aut explicari, quod eſt habere ad illas reſpectum cognoſcibilitatis, vt ita loquar. Atque ita per hoc præciſè non apprehenditur in eſſentia diuina aliquis ordo aut reſpectus qui in ea non ſit. Ideò autem nos eum illi affingimus, quia cognoſcimus illam ad modum aliarum cauſarum aut idearum quæ habent reſpectum nedum ſecundum dici aut cognoſci ad ſuos effectus aut res ideatas, ſed etiam ſecundum eſſe: Deus verò non cognoſcit illam hoc modo, ſed ad modum proprium ipſius negationes quoque & priuationes licet cognoſci poſſint ad modum formarum poſitiuarum ſubiectum afficientium, & ita à nobis cognoſcantur primò intuitu, eo quod intellectus noſter omnia cognoſcit pro hoc ſtatu ad

modum rerum corporearum; non tamen exigunt quantum eſt de ſe, ſed poſſunt optimè cognoſci prout in ſe ſunt mera non entia ſeu carentiæ & remotiones entis, non quidem directè & per ſe, cùm per ſe & directè non contineantur ſub obiecto intellectus, ſed indirectè & per formas oppoſitas quibus priuant, putà tenebræ per lucem, cæcitas per viſum, & ſic de aliis: & hoc ſolùm modo cognoſcuntur ab intellectu diuino, à nobis verò vtroque modo, directè quidem & primò intuitu ad modum entis & cuiuſdam poſitiui, indirectè verò ad modum non entis & negatiui prout ſunt, per reflexionem enim & indirectè cognoſcimus tenebras v.g. non eſſe reipſa aliquid poſitiuum, ſed meram carentiam aut priuationem lucis. Nec per hoc fertur intellectus extra ſuum obiectum: licet enim obiectum ipſius, vt dicam, directum ſit ens, indirectum tamen eſt etiam non ens ſeu negatio, cùm hæc ſit intelligibilis per id quód tollit aut remouet. Ex quibus facilè ſolues plura argumenta infra adducenda.

Quòd verò nec intellectus Angelicus cognoſcat res aliter ac ſunt in ſe, apprehendendo in ipſis aliquid fictum; nec ſubindè formet ens rationis ſuadetur ex maxima ipſius perfectione & eleuatione ſupra intellectum humanum, ex qua habet quod vnico intuitu totum cognoſcat quod eſt in obiecto, eo quod habeat ſpecies vniuerſaliores vtpote non à rebus ipſis ſed à Deo acceptas & ab ideis diuinis, quæ vniuerſaliſſimæ ſunt exemplatas, quæ ſubinde totum repræſentant: atque ita non opus habet res in diuerſos conceptus generis & differentia partiri, aut circa illas diſcurrere, componere vel diuidere ſicut nos, ſubindéque non facit entia illa rationis logicalia quæ nos per huiuſmodi actus efformamus, & ſine quibus non poſſumus res cognoſcere. Sed neque alia, putà priuationes, aut negationes, & multò minus chimæras, aut etiam alias relationes rationis à logicalibus; ob eandem rationem, quia ſcilicet vno intuitu cognoſcit rem quamcumque prout in ſe eſt,

cognoſcendo hoc modo res aliter ac ſunt in ſe componendo aut vniendo quæ non ſunt à parte rei vnita aut coniuncta, referendo quæ non ſunt relata, & huiuſmodi, apprehendo indirectè & eodem actu (per quandam virtualem reflexionem) vnionem aut relationem vel quid ſimile in eis quod in eis non eſt, & hoc eſt cognoſcere ens rationis in actu exercito & practice. Quo poſito ad argumentum diſtinguo antecedens: Deus cognoſcit omnia entia rationis, ſpeculatiue & in actu ſignato, concedo, vt enim probat argumentum, comprehendendo intellectum noſtrum cognoſcit & contemplatur omnia ad quæ ſe extendit, ſubindéque entia rationis ab ipſo facta aut factibilia: practice & in actu exercito, nego, cum non cognoſcat res aliter ac ſunt in ſe, ſed omnia prout ſunt, atque adeò non apprehendat in eis aliquid quod in eis non eſt. Vnde nego conſequentiam. Ad probationem eius reſpondeo cum eadem diſtinctione, totum eſſe entis rationis eſſe quod cognoſcatur aut habeat eſſe obiectiue in intellectu practicè & in actu exercito, non verò in actu ſignato ſolùm & ſpeculatiue: atque ita qui hoc tantùm poſteriori modo illud cognoſcit aut dat ipſi eſſe obiectiuè in intellectu, nequaquam facit, neque enim propoſitionem v.g. (quæ eſt ens rationis logicale) formo per hoc præcisè quod naturam eius ſpeculor aut definio dicendo illam eſſe orationem enunciatiuam aut vnionem prædicati cum ſubiecto, nec ſimiliter chimeram efficio cùm dico ipſam eſſe merum figmentum; ſiquidem per hoc nihil cognoſco aliter quàm ſit. Quia ergo intellectus diuinus hoc tantum modo cognoſcit omnia rationis entia, ideò nullum facit. Et idem dico ad id quod ſubditur de intellectu Angelico.

Obiicies ſecundò: Intellectus diuinus cognoſcendo propriam eſſentiam vt cauſam aut ideam creaturarum, comparat & ordinat eam ad illas: ergo facit relationem rationis, ſeu reſpectus illos quos appellant ideales. Probatur conſequentia: ordinare enim

vnum ad aliud ad quod à parte rei non ordinatur aut refertur, eſt facere relationem rationis: ſed eſſentia diuina nullo modo à parte rei ordinatur ad creaturas, ſed eſt omnino abſoluta: ergo intellectus diuinus eam ad creaturas ordinans facit relationem rationis.

Confirmatur: Deus cognoſcit negationes & priuationes: ergo facit ens rationis. Probatur conſequentia: Cognoſcere non ens ad modum entis eſt facere ens rationis: ſed non poteſt huiuſmodi negationes aut non entia cognoſcere niſi ad modum entis: ergo. Probatur minor: quia intellectus non poteſt ferri ad non ens vt eſt non ens, cùm vt tale ſit extra obiectum eius, quod eſt ens: ergo debet neceſſariò illud apprehendere ad modum entis.

Ad hæc patet ſolutio ex ſupradictis. Ex primò ad obiectionem in forma nego conſequentiam: ad probationem diſtinguo minorem: Ordinare vnum ad aliud ad quod non dicit ordinem nec ſecundum eſſe nec ſecundum dici aut cognoſci, eſt facere relationem rationis, concedo: ſi dicat ſecundum dici aut in eſſe cognoſcibili, licet non in eſſe entitatiuo, nego, vel ſubdiſtinguo. Si ordinem ſeu referam illud ad modum relatiui ſecundum eſſe, apprehendendo videlicet in eo ordinem ſiue reſpectum quaſi entitatiuum, qui in illo non eſt, concedo; & hoc modo ordinat intellectus noſter: Si non referam aut ordinem hoc modo, ſed tantum per modum relatiui ſecundum dici, quale re vera eſt, nego. Et hoc ſolùm ſecundò modo intellectus diuinus ordinat ſuam eſſentiam, vt vidimus, quæ etſi abſoluta ſit ab ordine entitatiuo ad creaturas, non tamen ab ordine cognoſcibilitatis in quantum eſt cauſa aut idea ipſarum. Per quod patet ad minorem & conſequentiam.

Ad confirmationem reſponſio etiam patet ex dictis ſuprà, dictum enim eſt intellectum diuinum cognoſcere indirectè negationes & priuationes vt ſunt à parte rei non entia, & non ad modum entis ſicut

nos : nec per hoc fertur extra ſuum obiectum, vt ibi explicatum eſt. Sicut autem prædicta argumenta procedere etiam poſſent de intellectu Angelico proportione ſeruata, ita & eædem ſolutiones ipſis proportionaliter applicandæ forent.

Obiicies nihilominùs ſpecialiter de intellectu Angelico, quia ille format diſtinctionem rationis inter attributa diuina : ergo facit ens rationis. Probatur antecedens : quia in ordine naturali ſpectatus & ſecluſo lumine gloriæ non poteſt vnico actu omnia quæ ſunt in Deo cognoſcere, ſed per diuerſos actus cognoſcit diuerſa attributa, modo ſapientiam, modo iuſtitiam, modo miſericordiam, & ſic de aliis : ergo format, &c.

Reſpondeo negando antecedens : ad probationem conceſſo antecedente nego conſequentiam, quia licet diuerſis actibus cognoſcat illa attributa, non tamen apprehendit relationem diſtinctionis inter illa. Dices : quare nos eam apprehendimus & formamus, non verò Angelus? Reſpondeo, quia nos cognoſcimus attributa illa vt diſtincta veluti poſitiuè, ob imperfectionem noſtri intellectus; ille verò ſolùm negatiuè, quatenus non cognoſcit ea vno & eodem actu. Et hæc de ente rationis, cuius varias videre potes diuiſiones in vltimo Logicæ Prolegomeno. Sicque finitur Metaphyſica noſtra ac tota ſpeculatiua Philoſophia.

Finis Metaphyſicæ.

ETHICA.

PROOEMIVM.

CVM reliquæ Philoſophiæ partes, Logica, Phyſica, Metaphyſica, in ſola veritatis contemplatione, mentiſque operationibus in ordine ad ſpeculandas rerum naturas dirigendis ſiſtant: hæc quam modo aggredimur, Ethica ſcilicet ſeu Moralis Philoſophia, tametſi veritatem etiam contempletur, mentemque dirigat ne in conſideratione rerum moralium aberret: ibi tamen nequaquam ſiſtit, ſed vlteriùs tendit ad ipſas etiam voluntatis operationes dirigendas, ſeu ad mores componendos, quod idem eſt, mores enim dicuntur actiones humanæ ſeu deliberatæ (præſertim conſuetæ & ſæpiùs iteratæ) prout ſunt vel recte ordinatæ ad debita obiecta & ad vltimum finem ac beatitudinem vitæ humanæ conſentaneam, vel deordinatæ ab illas ſeu quod in idem recidit, prout ſunt conformes rectæ rationi aliiſue regulis aut legibus ſiue diuinis ſiue humanis quibus ad finem illum vltimum actionum noſtrarum debitáque illarum obiecta ordinatum, qua ratione dicuntur boni mores; vel difformes illis, quo modo appellantur praui mores.

Dixi, *ſeu deliberatæ.* illud enim intereſt inter actiones hominis & actiones humanas, quod actiones hominis dicuntur omnes actiones quæ ab homine quomodocunque procedunt; humanæ verò, quæ ab illo procedunt vt homo eſt & rationalis ac libere agens, atque adeò quæ ſunt deliberatæ. Ex his verò colliguntur tria.

Primum eſt, obiectum formale & totale ac adæquatum Philoſophiæ moralis non eſſe actiones voluntatis aut humanas ſeu liberas ſecundum ſuum eſſe phyſicum ſpectatas, ſed ſecundum eſſe morale, quod formaliter conſiſtit in ordine tranſcendentali ad regulas morum, ſeu ad obiectum illis regulis ſubiectum: ita vt ſicut obiectum Logicæ eſt ens rationis directiuum operationum intellectus in concreto ſumptum, quod importat de materiali & ſubſtrato res ipſas, de formali verò relationem rationis: ſic obiectum Ethicæ ſit ens morale etiam in concreto, importans de materiali actionem humanam ſeu liberam (quæ proinde erit materiale obiectum ſcientiæ iſtius) de formali verò ordinem ad regulas morum; ens inquam morale prout abſtrahit à conformi vel difformi, ſeu quod eſt idem, ab honeſto vel turpi, bono vel malo. Ratio huius aſſerti eſt euidens: quia Moralis non conſiderat per ſe loquendo actiones humanas aut liberas ſecundum ſuum eſſe naturale & phyſicum (ſic enim ad ipſam Phyſicam Animaſticam ſpectant, quæ de voluntate eiuſque libertate agit;) ſed ſolùm ſecundum eſſe morale inquantum bonæ ſunt vel malæ, turpes vel honeſtæ: ergo priori modo ſpectatæ non erunt obiectum niſi tantum materiale; poſteriori verò, id eſt ſecundùm eſſe morale vt abſtrahit à bonitate vel malitia, turpitudine vel honeſtate, formale: quamuis enim finis Moralis philoſophiæ ſit bonum & honeſtum, attamen conſiderat etiam turpe & malum vt ipſi oppoſitum, atque ratio entis moralis vtriſque communis erit formale & adæquatum illius obiectum, quod erat primum aſſertum.

Secundum eſt, Moralem philoſophiam eſſe veram ſcientiam: quia multa demonſtrat de actione humana moraliter ſpectata, ſub qua ratione eſt eius obiectum, vt quod ſit meritoria vel demeritoria, laude vel vituperio digna, &c.

Tertium eſt, facultatem hanc eſſe practicam: quia non ſiſtit in ſola veritatum moralium contemplatione, ſed vlteriùs ordinatur ad praxim, nempe ad operationes voluntatis dirigendas, ſeu mores efformandos, hic enim eſt finis ipſius.

Diuiditur autem in Ethycam monaſticam ſeu priuatam, Oeconomicam ſeu domeſticam, Politicam aut ciuilem. Prima conſiderat actiones humanas ſeu mores hominis priuati, dirigens eas ad finem vltimum & fœlicitatem ipſius peculiarem, conformiter ad regulas, leges, aut præcepta quibus ad huiuſmodi proprium finem ordinamur. Sed quia homo non ſolùm eſt animal priuatum, ſed & etiam ſociale & politicum, ideò. Secunda conſiderat & dirigit mores hominis vt eſt pars familiæ in ordine ad bonum ſocietatis domeſticæ. Tertia verò mores eiuſdem hominis, quatenus membrem reipublicæ, in ordine ad bonum commune totius ciuitatis aut regni inſtituit. Quam diuiſionem non exiſtimo eſſe in tres ſpecie diſtinctas facultates, ſed Moralem eſſe vnam ſpecie ſcientiam, quia verè habet vnicum formale obiectum, nempe rationem entis moralis vt ſic, quod tantum materialiter & in eſſe entis diuerſificatur per ordinem ad diuerſas morum regulas, diuerſas ſolùm materialiter rationes boni proprij vel communis, quæ in vna formali ratione boni ipſius hominis vt ſic conueniunt, reſpicientes. De Oeconomica & Politica non eſt inſtituti noſtri aut intenti tractare, ſed ſolum de Ethica monaſtica, quæ ſimpliciter nomine Ethicæ aut Moralis philoſophiæ venit intelligenda.

Hanc autem in tres partes diuidemus. In prima agemus de fœlicitate aut beatitudine hominis, ad quam vt ad vltimum finem intendit Philoſophia

Moralis ipſum perducere, componendo & dirigendo ipſius mores in ordine ad aſſecutionem illius. In ſecunda diſſerimus de ipſis moribus, ſeu de actibus humanis moraliter conſideratis, qui ſunt ipſa media per quæ ad huiuſmodi finem perueniunt. Et in tertia, de principiis illorum actuum ſeu morum, id eſt, de moralibus habitibus, ſiue virtutibus quæ ſunt principia bonorum actuum, ſiue vitiis ipſis oppoſitis quæ ſunt principia malorum.

PRIMA PARS ETHICÆ.

De fœlicitate aut beatitudine hominis.

QVOD Ethici & Philoſophi fœlicitatem, hoc Theologi & Chriſtiani beatitudine appellant: nos qui & Chriſtiani ſumus, & philoſophos agimus, vtroque nomine vtimur. Antequam verò de huiuſmodi fœlicitate aut beatitudine hominis in particulari tractemus, quæ eſt ſummum bonum & finis vltimus vitæ ipſius, agendum prius hîc eſſet tùm de bono & fine vt ſic, tùm de ipſo vltimo fine & ſummo bono in communi: ſed quia de bono

egimus in Metaphyſica, & de fine iam anteà in ſecundo Phyſic. ideo aliquid tantum de ipſo vltimo fine aut ſummo hominis bono in genere prælibabimus; de ipſa beatitudine, quæ eſt huiuſmodi ſummum bonum, ſubinde diſputaturi.

DISPVTATIO I.

De vltimo fine hominis.

SECTIO I.

An ſit aliquis vltimus finis humanarum actionum.

FInis vltimus, vt in 2. lib. Phyſ. diximus, eſt ille qui propter ſe appetitur, & propter quem cætera omnia fiunt aut appetuntur: ſeu, eſt bonum perfectè ſatiatiuum oppetitus, quod appetitur propter ſe cætera verò propter ipſum, ſeu in ordine ad ipſum.

Diuiditur autem in formalem & materialem. Finis vltimus formalis dicitur ratio ſummi boni & perfectè ſatiatiui appetitus, vt ſic, abſtrahendo à verò vel apparente, & à qualibet ſubiecto particulari in quo conſtitui poteſt. Finis verò vltimus materialis eſt res illa in qua huiuſmodi ratio boni perfectè ſatiatiui conſtituitur; ſiue reipſa in ea inueniatur, vt in Deo; ſiue apparenter ſolùm, vt in diuitiis,

diuitiis, deliciis, aut honoribus, in quibus peruerſi homines ſuam beatitudinem ſuumque vltimum finem conſtituunt. Finis vltimus formalis dicitur finis in communi; materialis verò, in particulari. His poſitis.

Dico primò: Vnus eſt vltimus finis formalis humanarum actionum, imò & omnium volitionum, ita vt quidquid appetit homo, appetat propter vltimum finem in communi.

Probatur: Finis vltimus formalis eſt ratio ſummi boni in communi, & perfectè ſatiatiui appetitus: ſed omnes actiones humanæ & omnes volitiones tendunt in bonum perfectè ſatiatiuum, & quidquid agimus aut appetimus, propter illud & in ordine ad illud appetimus vel agimus: ergo & in ordine ad vltimum finem in communi & propter ipſum. Probatur minor: vnumquodque enim appetit ſuam propriam perfectionem, & ad hunc finem omnia agit & ordinat: ſed propria & vltima perfectio cuiuſque eſt ſummum ipſius bonum & perfectè ſatiatiuum appetitus eius: ergo.

Aduerte tamen intentum huius noſtræ concluſionis & probationis non eſſe quod homo omnia velit aut agat propter vltimum finem etiam formalem actu & expreſsè in illum tendendo, ſeu alia in ipſum formaliter referendo, cùm ſæpius de illo non cogitet; ſed tantùm virtualiter & implicitè, quatenus naturaliter inclinatur ad ſuam beatitudinem & vltimum finem in communi, ratione cuius naturalis inclinationis in finem huiuſmodi, omnia quæ in ipſum ordinantur, cenſetur virtualiter propter eum appetere: ſicut ægrotus ratione naturalis deſiderij aut propenſionis quâ in ſanitatem fertur, dicitur appetere virtualiter quæcunque ad illam conducunt, etſi actu de ea non cogitet. Siue autem inclinatio illa in beatitudinem ſit ſolum naturalis propenſio, ſiue actus elicitus, perinde eſt.

Dico ſecundò, vltimum finem materialem, ſeu in particulari, verum & ex natura rei talem,

non eſſe niſi vnicum ; apparentem verò multiplicem.

Probatur : quia, vt infrà oſtendemus, in ſolo Deo reperitur vera ratio beatitudinis & boni perfectè ſatiatiui appetitus noſtri . ergo ille ſolus eſt verus vltimus finis in particulari. Secunda verò pars conſtat : quia peruerſi homines conſtituunt rationem ſummi boni & ſuæ beatitudinis, alij in diuitiis, alij in honoribus, &c. in quibus verè non reperitur : ergo ex falſa illorum exiſtimatione multiplex eſt vltimus finis apparens.

Dico tertiò : Quamuis omnis actio humana omniſque appetitio ſit propter vltimum finem formalem & in communi, non tamen propter aliquem finem vltimum in particulari & materialem.

Prima pars patet ex prima concluſione. Secunda verò, ex eo quod homo nec cogitat ſæpè de aliquo vltimo fine in particulari quando vult aut agit aliquid ; nec habet naturalem inclinationem vel propenſionem ad illum, ſicut habet ad vltimum finem formalem, ratione cuius inclinationis dici poſſit agere ſemper virtualiter propter ipſum : ergo non agit ſemper propter vltimum finem in particulari.

Confirmatur ex his quæ docentur in Theologia de peccato veniali, quod nec ordinatur ad Deum vt ad vltimum finem, aliàs eſſet actus bonus, & non peccatum ; nec ad creaturam, aliàs eſſet peccatum mortale, cuius hoc eſt proprium, auertere ſcilicet à Deo & conuertere ad creaturam vt ad finem vltimum ; atque adeò nullum reſpicit finem vltimum in particulari & materialem actio illa in qua conſiſtit veniale peccatum, ſed ſolùm in communi & formalem.

SECTIO II.

An poſſit homo duos vltimos fines ſimul intendere.

DIco non poſſe.

Probatur : quia de ratione vltimi finis eſt

quod ita expleat & ſatiet totum hominis appetitum, vt extra ipſum nihil appetendam relinquatur, ſed ſi homo appeteret ſimul duos vltimos fines aliquid extra vltimum finem appetendum relinqueretur: ergo non poteſt duos ſimul intendere aut appetere. Probatur minor: nam vltimus finis maxime eſt per ſe appetibilis: ſed præter vnum vltimum finem daretur alius vltimus finis ex hypotheſi; ergo aliquid extra vltimum finem appetendum relinqueretur, quod rationi illius apertè repugnat.

Confirmatur: vel ille vltimus finis quem primò appetit homo, perfectè & completè ſatiat appetitum eius, vel imperfectè ſolùm: ſi primum, ergo continet omnem rationem boni, ac proinde eſt ſummum bonum extra quod nullum aliud dari poteſt: ſi ſolum imperfecte ſatiet, ergo non eſt vltimus finis de cuius ratione eſt vt appetitum perfectè expleat, nihilque vlterius appetendum relinquat.

Quæres, vtrum homo poſſit eodem actu intendere duos fines totales & adæquatos, v.g. ſtudere propter lucrum, & propter delectationem, ita vt altero ceſſante adhuc ex vi eiuſdem intentionis ſe applicaret ad illud opus.

Reſpondeo negatiuè, ob eaſdem proportionaliter rationes quibus in 2. Phyſ. oſtendimus eundem effectum aut actionem non poſſe eſſe à duabus cauſis efficientibus totalibus eiuſdem ordinis: nam in propoſito etiam illa actio ſi penderet ſimul à duabus cauſis finalibus totalibus non ſubordinatis, penderet per ſe ab vnaquaque illarum, & non penderet per ſe: ſiquidem vtralibet ceſſante adhuc eliceretur. Vnde qui ſtudet propter lucrum & ſimul propter delectationem, ſtudet propter illos fines vt partiales, & altero ceſſante non ſtuderet ex vi eiuſdem intentionis, ſed deberet nouum elicere quâ alterum ſolùm intenderet vt totalem.

Obiicies contra concluſionem: Poteſt homo conſtituere ſuum vltimum finem ſimul in diuitiis, voluptatibus, & honoribus, vt oſtendunt Theologi

& iam non ſemel innuimus de peccatore qui ponit ſuum vltimum finem in obiecto peccati mortalis, id eſt, in creatura quam præfert Deo, eius intuitu & amore Deum relinquens: ergo poteſt quis ferri in plures vltimos fines.

Reſpondeo cum diſtinctione, poſſe hominem conſtituere ſuum vltimum finem in diuitiis, honoribus, & voluptatibus, peccatorémue in diuerſis obiectis peccatorum mortalium, tanquam in partialibus bonis vnum totale bonum & finem vltimum apparentem integrantibus; non verò in ſingulis tanquam in diuerſis bonis & finibus totalibus perfectéque ſatiatiuis appetitus, ob rationes in concluſione adductas.

DISPVTATIO II.

In quo conſiſtat vera hominis fœlicitas ſeu beatitudo.

CVM idem reipſa ſit beatitudo ac vltimus finis, ſolúmque ratione diſtinguantur, quatenus vltimus finis dicitur ipſum ſummum bonum prout appetitur propter ſe & cætera omnia propter ipſum, beatitudo verò eſt illud idem inquantum appetitum ſatiat & beatos ac fœlices conſtituit homines: ideò ſicut vltimus finis diſtingui ſolet in formalem & materialem, ita & beatitudo. Beatitudo formalis, ſeu quod idem eſt, beatitudo in communi dicitur ipſa ratio ſummi boni vt ſic: beatitudo verò in particulari ſiue materialis eſt res illa in qua huiuſmodi ratio reperitur & de hac agimus in præſenti.

Sed rurſus beatitudo hæc, ſeu res illa quæ habet rationem ſummi boni, diuiditur in beatitudinem

formalem, & beatitudinem obiectiuam. Beatitudo obiectiua eſt res quæ ſuum poſſeſſorem beatum facit: formalis verò eſt ipſa poſſeſſio aut fruitio illius rei, ſeu obiecti beatifici: vnde ex vtraque integratur vna beatitudo.

SECTIO VNICA.

Reſoluitur propoſita quæſtio.

DE tribus eſt difficultas, in quonam eorum conſtituenda ſit hominis beatitudo: nempe de bonis externis quæ vulgo dicuntur bona fortunæ, cuiuſmodi ſunt diuitiæ & honores, poteſtas & gloria mundi: de bonis corporis, quæ ſunt ſanitas, robur, pulchritudo, voluptas, & ſimilia: & de bonis animi, quæ ſunt tria; primum, ipſæ animæ facultates & potentiæ; ſecundum, habitus virtutum, ſcientiarum, & huiuſmodi; tertium operationes.

Dico primò, fœlicitatem obiectiuam non conſiſtere in bonis fortunæ aut corporis, nec ſubinde formalem in poſſeſſione ipſorum.

Probatur: quia huiuſmodi bona aut illorum poſſeſſio nullatenus ſatiat appetitum: non quidem ſingula in particulari, qui enim diuitiis affluit, ſi careat honore, ſanitate, voluptate, aut huiuſmodi, nequaquam contentus eſt aut ſatiatus: nec omnia ſimul & collectiuè ſumpta, quia in primis nunquam accidit quod vnus & idem homo ſimul illa omnia poſſideat: & hoc dato adhuc non quietarent appetitum, eo quòd inſtabilia ſint, nec eorum poſſeſſio ſit ſecura & in noſtra poteſtate, poſſunt enim infinitis caſibus amitti nobis inuitis. Ergo cùm beatitudo debeat eſſe ſummum bonum perfectè ſatiatiuum & quietatiuum appetitus, illa non conſiſtet in bonis externis fortunæ, nec in bonis corporis.

Confirmatur: Beatitudo eſt vltima perfectio hominis, ſubindéque debet ipſum perficere vt homo eſt & natura intellectualis: atqui id non competit bonis fortunæ, nec bonis corporis, cùm ſint infe-

riora ipſi naturæ hominis vt homo eſt : ergo.

Dico ſecundò beatitudinem obiectiuam non conſiſtere etiam in bonis animi.

Probatur : nam in primis non conſiſtit in facultatibus animi aut habitibus, cum huiuſmodi ſint aut expetantur propter operationem, quod repugnat beatitudini quæ propter ſe appeti debet : nec in ipſa operatione, etiam præſtantiſſima hominis, nam hæc habet ſuum obiectum ad quod ordinatur, atque adeo in illo conſiſtet beatitudo obiectiua; ipſa verò operatio erit beatitudo formalis, vtpote quæ ſit poſſeſſio beatitudinis obiectiuæ. Vnde.

Dico tertiò beatitudinem naturalem (qualemcunque) huiuſce vitæ ſitam eſſe in excellentiori quæ per naturæ vires haberi poſſit, contemplatione perfectionum Dei vt auctoris naturalis, eiuſque dilectione : ita vt ſolus Deus ſit beatitudo obiectiua, contemplatio verò & amor naturalis eius ſit beatitudo formalis naturalis.

Probatur : quia ſolus Deus eſt ſummum bonum, & in ipſo ſolo reperiuntur omnes conditiones ad explendum hominis appetitum requiſitæ, cùm habeat omnes imaginabiles perfectiones : ergo in illo ſolo conſiſtet beatitudo obiectiua, atque adeò in ſola illius poſſeſſione aut vnione cum ipſo ſita erit beatitudo formalis : atqui huiuſmodi vnio ſeu adhæſio cum Deo fit beneficio tùm contemplationis quâ vnimur ei per intellectum, tùm amoris quo illi per voluntatem adhæremus : ergo in illa vtraque operatione viribus naturæ elicita conſiſtet beatitudo naturalis huius vitæ. Quæ naturalis beatitudo, quamuis ex ſe & ex natura ſua perfectiſſima ſit & complete ſatiatiua, de facto tamen valdè imperfecta eſt in nobis, ratione ſcilicet miſeriarum huius vitæ, moleſtiarum carnis, mentiſque diſtractionum, propter quas imperfectiſſima eſt omnis noſtra contemplatio dilectioque Dei, imo nec pro hoc ſtatu naturæ corruptæ Deum ſuper omnia naturalibus viribus diligere valemus, ſed ad id auxilio ſupernaturali opus eſt,

vt oſtenditur in Theologia, tractatu de gratia.

Dices : Ariſtoteles ait fœlicitatem eſſe actionem virtutis in vita perfecti : ergo fœlicitas naturalis conſiſtit in actione virtutis, præſertim prudentiæ quæ eſt regula virtutum moralium, non verò in contemplatione, &c.

Reſpondeo Ariſtotelem locutum eſſe tantùm de fœlicitate vitæ actiuæ cuius finis eſt perfecta operatio virtutis; ſed quia finis ille vitæ practicæ vlteriùs ordinatur ad finem vitæ contempiatiuæ quæ eſt perfecta adhæſio ad Deum per contemplationem & amorem, ideò fœlicitas abſolutè in his conſiſtit. Vnde virtutes morales aut potiùs actiones virtutum non tam ſunt fœlicitas naturalis hominis quàm media ad illam, quatenùs conducunt ad quietam cum ſummo bono adhæſionem, moderando ſcilicet motus paſſionum.

Dices : beatitudo contemplatiua non videtur poſita ſolùm in contemplatione Dei, ſed etiam aliarum ſubſtantiarum materiæ expertium, & naturarum vniuerſalium.

Reſpondeo requiri ad eam tanquam media quibus in hac vita ad contemplationem Dei aſſurgimus.

Dico quartò, beatitudinem naturalem animæ ſeparatæ, ſpectata ipſius naturâ præcisè, fore excellentiſſimam Dei vt auctoris naturalis, ſeu vt primi creaturarum principij, contempiationem, ac dilectionem perfectiſſimam ex tali contemplatione conſecutam : de facto tamen non dari huiuſmodi beatitudinem naturalem præcisè.

Prima pars patet, quia per huiuſmodi perfectiſſimam contemplationem & dilectionem vniretur ipſi Deo vt ſummo bono, in quo ſita eſt ratio beatitudinis.

Secunda verò eſt certa, quia de facto eleuata eſt natura noſtra & per decretum Dei extrinſecum ad ſupernaturalem beatitudinem ordinata, quæ beatitudo vt ſtatim dicemus, in clara Dei vt auctoris ſu-

pernaturalis, ſeu prout in ſe eſt, viſione & contemplatione conſiſtit; ita vt anima ſeparata vel ſit omnino miſera per totalē beatitudinis cuiuſcumque priuationem, ſi videlicet in ſtatu peccati lethalis, ſiue originalis ſiūe actualis, à corpore exeat; vel omnino beata per claram Dei viſionem & beatitudinem ſupernaturalem, ſi nempe ab omni huiuſcemodi peccato libera ſit: ergo non datur de facto beatitudo naturalis præcisè, in anima ſeparata.

Dico quintò beatitudinem ſupernaturalem, qualiſcumque in hac morali vita haberi poteſt, ſitam eſſe in excellentiori, quæ hic per lumen fidei & ſapientiæ donum elici valet, Dei vt auctoris ſupernaturalis contemplatione, ſimulque in ardentiſſimo eiuſdem amore à charitate procedente. Iam dixi Deum vt auctorem ſupernaturalem idem eſſe ac Deum prout in ſe eſt, qua ratione attingitur à fide obſcurè, à lumine gloriæ clarè, vt auctorem verò naturalem eſſe idem ac inquantum eſt primum principium creaturarum & finis vltimus ad quem ex natura ſua ordinantur.

Ratio autem concluſionis eſt quia per illos actus perfectè, quantum huius miſeræ vitæ poſſibilitas admittit, Deo vt in ſe eſt coniungitur.

Dico vltimò beatitudinem futuræ vitæ conſiſtere eſſentialiter in clara Dei viſione per lumen gloriæ elicita, ex qua ſequitur conſummata eiuſdem dilectio tanquam proprietas. Ita melior pars Theologorum contra Scotum qui putat eſſentiam beatitudinis in ipſo Dei clarè viſi amore ſitam eſſe, & contra alios qui volunt eſſentialiter conſiſtere in vtroque actu.

Probatur tamen primò concluſio: quia beatitudo conſiſtit eſſentialiter in adeptione & poſſeſſione ſummi boni & obiecti beatifici, nempe Dei: atqui ſola clara viſio Dei eſt formaliter eius adeptio & poſſeſſio, non verò ipſe amor: ergo in illa, & non in amore conſiſtet eſſentia beatitudinis. Probatur minor ex diſcrimine inter huiuſmodi actus, vi;

ſionis ſcilicet Dei & amoris ipſius, in hoc poſito, quòd viſio, cùm ſit actus intellectus qui eſt potentia apprehenſiua trahens ad ſe obiectum, eſt eſſentialiter adeptio eius vel per ſpeciem illius vicariam quando non eſt ſecundum ſe præſens & vnitum potentiæ, aut ſufficienter immateriale & proportionatum ipſi, quæ ſunt duæ conditiones defectu quarum res non eſt per ſe intelligibilis aut cognoſcibilis immediatè, ſed media ſpecie; vel in ſeipſo, quando neutra deeſt ipſi conditio & ſic eſt per ſe intelligibile abſque ſpecie diſtincta, cuiuſmodi eſt Deus reſpectu intellectus lumine gloriæ illuſtrati, cui eſt intimè præſens per ſeipſum, ſicut & omnibus aliis rebus, & inſuper eſt ipſi ſic per tale lumen eleuato proportionatus, defectu cuius poſterioris conditionis non eſt per ſe immediatè intelligibilis à nobis pro hoc ſtatu, ſed ſolùm per ſpeciem: at verò, cùm voluntas è contra ſit potentia quæ non apprehendit aut trahit ad ſe obiectum, ſed potiùs fertur & inclinatur in illud, vt per intellectum iam apprehenſum, conſequenter ipſe amor, qui eſt actus voluntatis, non erit formaliter adeptio huiuſmodi obiecti, ſed actualis inclinatio in ipſum ſiue ſit præſens & iam poſſeſſum, per aliam ſcilicet facultatem, ſiue abſens & nondum ipſi vnitum; amor enim ab vtraque ratione abſtrahit & fertur in bonum ſecundum ſe. Dixi, *formaliter*, præſuppoſitiuè enim poteſt amor dici adeptio ipſius boni aut obiecti, quando ſcilicet fertur in illud iam poſſeſſum in eoque quieſcit, qua ratione appellatur fruitio. Atque ita conſtat amorem Dei in patria præſupponere eius adeptionem per viſionem ipſam in qua ſubinde conſiſtet eſſentia beatitudinis, ipſa verò amor aut fruitio erit quid conſequens per modum proprietatis.

Probatur ſecundò aut confirmatur: quia beatitudo debet eſſentialiter conſiſtere in operatione omnium perfectiſſima: atqui illa eſt clara Dei viſio, quæ perfectior eſt amore, cùm ſit actus perfectioris

potentiæ vt oſtendimus in tract. de Anima: ergo, &c. vnde.

Aduerte diſcrimen inter beatitudinem imperfectam ſiue naturalem ſiue ſupernaturalem huius vitæ, & beatitudinem alterius vitæ perfectiſſimam & abſolutam; quod tota illius eſſentia non conſiſtit in ſola contemplatione, ſed etiam & maximè in amore; quia contemplatio imperfecta ſummi boni, quæ habetur in hac vita, non habet neceſſarium nexum cum probitate morum ad beatitudinem neceſſariò requiſitã, ſed ſolus amor qui proinde in ratione eſſentiali huius imperfectæ beatitudinis maximè includi debet. At verò tota eſſentia beatitudinis futuræ in ſola clara Dei contemplatione aut viſione poſita eſt, quia hæc cùm ſit perfectiſſima cognitio ſummi boni vt in ſe eſt neceſſitans voluntatem ad eius amorem, petit conſequenter ex ſe & ex ſua natura rectitudinem voluntatis cæteráque quæ ad ſtatum illum bonis omnibus cumulatiſſimum exiguntur. Ex quibus intelliges definitionem beatitudinis à Boëtio traditam, quòd nimirum ſit *ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus.*

Obiicies: Beatitudo conſiſtit eſſentialiter in vnione cum ſummo bono: atqui vnimur ei non ſolùm per claram ipſius viſionem, ſed etiam per amorem vt diximus in præcedentibus ergo.

Confirmatur: per actum voluntatis deſideramus beatitudinem obiectiuam, & ad ipſam tendimus: ergo per eandem facultatem & per actum ipſius eam formaliter aſſequimur & poſſidemus, atque adeo in huiuſmodi actu, amoris ſcilicet, conſiſtet eſſentia beatitudinis. Probatur conſequentia: quia aliàs ipſa voluntas non ſatiaretur ſi ipſamet non conſequeretur beatitudinem optatam.

Ad obiectionem reſpondeo maiorem eſſe veram proportionaliter, ita vt beatitudo perfecta conſiſtat in perfecta vnione cum obiecto beatifico, & beatitudo imperfecta in vnione etiam imperfecta cum eodem: quamuis autem in hac miſera vita per-

fectius vniamur Deo per amorem, præſertim charitatis & ſupernaturalem, quàm per contemplationem, quia amamus ipſum vt in ſe eſt, & non cognoſcimus vt in ſe eſt, ſed ad modum rerum materialium & per ſpecies illarum, & ideò diximus beatitudinem (qualemcunque) huius vitæ conſiſtere in contemplatione & ſimul in amore, imò magis in amore: attamen in patria perfectiùs vniemur ei per claram viſionem quando videbimus eum ſicuti eſt, quàm per amorem qui ſequitur ad vnionem & poſſeſſionem iam habitam per intellectum, vt videbimus. In forma autem, loquendo de beatitudine perfecta, diſtinguo maiorem: conſiſtit in vnione, primaria & reali, concedo: ſecundaria aut ſolùm per affectum, nego: primaria autem vnio in patria fit per claram Dei viſionem quæ eſt formaliter eius apprehenſio & adeptio; per amorem verò ſecundaria quæ ſequitur ad primariam vt proprietas ad eſſentiam: in hac autem vita per amorem vnimur Deo non realiter ſed per affectum & inclinationem, quæ vnio eſt perfectior quæ hîc haberi poteſt, ſed non abſolutè.

Ad confirmationem conceſſo antecedente nego conſequentiam. Sicut enim per actum potentiæ progreſſiuæ tendimus ad cibum v.g. quem tamen non per actum ipſius, ſed manu & ore apprehendimus; ita quamuis per actum voluntatis appetamus beatitudinem & ad eam tendamus, non tamen per actum illius, ſed ipſius intellectus, eam aſſequimur & poſſidemus: atque per hoc ſatiatur & expletur ipſa voluntas, quatenus habet præſens obiectum eóque fruitur cuius deſiderio antea tenebatur. Sed de his, quæ non ad morales philoſophos ſed Theologos ſpectant, plura dicere non iuuat. Vide alias obiectiones in tractatu de anima vbi de nobilitate & excellentia intellectus ſupra voluntatem.

SECVNDA PARS ETHICÆ.

De moribus, ſeu actibus humanis in eſſe morali ſpectatis.

ACTVS humani dupliciter poſſunt conſiderari, vt iam ſuprà in prolegomenis innuimus, videlicet in eſſe phyſico, & in eſſe morali.

Actus humani in eſſe phyſico ſpectati; vt in eo loco diximus, ſunt ipſi actus voluntatis & liberi, id eſt: à libera hominis voluntate procedentes. Suntque in duplici differentia: alij enim ſunt liberi & voluntarij, quia ab ipſa voluntate eliciti: alij verò, inquantum ab ipſa imperati, ſeu quatenus ab alijs facultatibus ex imperio aut motione voluntatis procedunt.

Actus eliciti alij ſunt circa finem, alij circa media. Circa finem ſunt, primò ſimplex volitio finis, ſeu actus quo voluntas abſolute appetit finem vt bonum in ſe: ſecundò fruitio, quæ eſt actus quo voluntas quieſcit in eo, ſpe vel re ipſa obtento: tertiò intentio, quæ appetit finem non abſolutè in ſe ſpectatum, ſed vt obtinendum per media. Circa ipſa verò media (poſt conſilium, qui eſt actus rationis inueſtigantis media ad finem aſſequendum, & circa ea deliberantis quodnam videlicet aſſumendum ſit) eſt primo electio quæ eſt actus quo voluntas ſequens conſilium & deliberationem rationis vnum medium præ alio eligit: ſecundò conſenſus, quo tali electioni acquieſcit, ſeu in medio electo ſibi complacet: ter-

tio (poſt actum imperij quo intellectus ex motione & impulſu voluntatis eligentis, & in medium electum conſentientis, imperat executionem illius) venit vſus, id eſt actus quo voluntas medium illud applicat, ſeu facultatem executiuam ad illud applicandum mouet.

Actus verò imperati, ſeu ab aliis facultatibus ex motione & applicatione ipſius voluntatis eliciti, ſunt in primis actus potentiæ intellectiuæ, & facultatis executiuæ: item actus tum ſenſuum internorum & & externorum, tum ipſius ſenſitiui appetitus; qui omnes motioni voluntatis rationiſque imperio ſubduntur. Actus ſenſuum noti ſunt ex dictis in libris de Anima de natura & obiectis ipſorum. Actus verò appetitus ſenſitiui ſunt ipſæ paſſiones quæ vndecim numerantur, ſex videlicet appetitûs concupiſcibilis, quæ reſpiciunt bonum vel malum vt conueniens vel diſconueniens præcisè; & quinque iraſcibilis, quæ verſantur circa bonum vel malum arduum. Sex actus ſeu paſſiones appetitus concupiſcibilis ſunt amor, odium, deſiderium, fuga, gaudium, triſtitia: quarum tres ſunt circa bonum; ſcilicet amor, quo bonum ſecundum ſe diligimus; deſiderium, quo illud dum abſens eſt appetimus; & gaudium, quo in eo iam obiecto delectamur: tres aliæ circa malum; nempe odium, quo illud ſecundum ſe auerſamur; fuga, qua abſens refugimus; triſtitia, quâ de illo præſenti dolemus. Quinque autem paſſiones iraſcibilis ſunt ſpes, deſperatio, reſpectu boni ardui quod confidimus vel diffidimus poſſe nos aſſequi; timor, audacia, ira, reſpectu mali, quod dum abeſt vel metuimus & refugimus, vel aggredimur & repellimus, ſi adeſt, iraſcimur. Et hæc de actibus humanis phyſicè conſideratis.

In eſſe verò moris, prout ibidem dicebamus, ſunt iidem actus quatenus dicunt ordinem tranſcendentalem ad regulas morum, ſeu ad obiectum vt per eas regulatum: ita vt moralitas nihil aliud ſit quàm huiuſmodi tranſcendentalis habitudo. Et de actibus

humanis ſecundum illam habitudinem aut moralitatem (à qua denominantur, termino incomplexo, mores) ſpectatis agitur per ſe in præſenti.

DISPVTATIO VNICA,
De moralitate.

SECTIO I.
Quid ſit, & vnde deſumenda ſit actuum humanorum moralitas.

Dico primò moralitatem conſiſtere in relatione ſeu ordine tranſcendentali ad obiectum ſubiectum regulis morum, vt iam ſæpius inſinuatum eſt; atque adeo deſumi ab obiecto.

Probatur: ſpecificatio phyſica actus conſiſtit in tendentia ad obiectum in eſſe phyſico ſpectatum, & ab eo definitur: ergo & ſpecificatio moralis eiuſdem, ſeu quod idem eſt, moralitas illius conſiſtet in tendentia ſeu relatione ad idem obiectum in eſſe morali conſideratum, ſubindéque ab eo vt à cauſa formali extrinſeca deſumi dicenda erit: ſed obiectum in eſſe morali ſpectatum idem eſt ac obiectum vt ſubiectum regulis morum, ſeu vt per rationem & legem regulatum: ergo, &c. Primum antecedens patet ex tractatu de anima, vbi oſtendimus potentias, habitus, & actus ſpecificari ab obiecto vt à cauſa formali extrinſeca. Conſequentia verò, de qua ſola dubitari poteſt, non videtur minus clara: ideo enim ſpecificatio phyſica actus conſiſtit in tendentia & ordine tranſcendentali ad obiectum phyſicè ſpectatum, quia ipſum vt tale per ſe primò reſpicit: atqui actus etiam ſecundum eſſe morale per ſe primò

reſpicit obiectum in eſſe etiam morali ſpectatum; id eſt vt temperatum aut regulatum lege & ratione: ergo per ordinem ad illud vt tale, ſeu, quod in idem redit, per habitudinem ad huiuſmodi regulas quibus ſubiacet, ſpecificabitur in eſſe moris.

Confirmatur: quia actus & habitus diuerſificantur in eſſe morali per habitudinem ad obiectum diuerſimode (id eſt per conformitatem vel difformitatem) ſubſtās regulis morum, ſiue in eſſe entis aut phyſico ſit idem, ſiue diuerſum: ergo ſumunt ſuam moralitatem ſeu moralem ſpecificationem penes illud vt tale formaliter: per quod enim res diuerſificatur, per illud in ſuo eſſe aut ſpecie conſtituitur; cùm idem ſit conſtitutiuum & diſtinctiuū, iuxta commune axioma.

Dico ſecundo, moralitatem actuum peti etiam ex circunſtantiis.

Pro intelligentia nota circunſtantias eſſe quædam accidentia ſeu conditiones humanorum actuum, eaſque eſſe ſeptem hoc verſu contentas.

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quo modo, quando;

Quis denotat conditionem perſonæ agentis, putà quod ſit perſona publica vel priuata, ſacerdos vel laicus.

Quis deſignat conditionem accidentalem obiecti putà quod ſit res ſacra vel profana quæ furto ſubripitur.

Vbi ſignificat circunſtantiam loci in quo, actio patrata eſt, vt ſi in loco ſacro, aut publico, quod multum fecit ad grauitatem delicti.

Quibus auxiliis denotat inſtrumentum aut medium quo quis vſus eſt ad moralem actionem, putà fuſte vel gladio ad percutiendum.

Cur deſignat finem actionis, non quidem intrinſecum qui eſt proprium obiectum eius, quod propterea dicitur finis operis; ſed extrinſecum & ab operante oppoſitum, qui & finis operantis hac de cauſa appellatur: vt cùm quis mœchatur propter furtum, aut è contra.

Quomodo deſignat modum actionis moralis, quod ſcilicet ſit magis vel minus intenſa, quod fiat cum maiori vel minori aduertentia & libertate.

Quando ſignificat circunſtantiam temporis, putà quod die feſto rem diuinam quis omiſerit: vel etiam denotat durationem actionis quæ quantò magis vel minus durat tanto redditur melior aut peior.

Ex quibus omnibus probata manet concluſio: Ex illis enim deſumitur ratio aliqua, penes quam diuerſificatur, vt ſupra arguebamus de obiecto: atqui moralitas actuum diuerſificatur etiam penes circunſtantias: ergo deſumitur etiam ex illis. Probatur minor: Penes illud diuerſificatur moralitas actionis, ſeu actio ipſa moralis, penes quod diuerſificatur obiectum ipſius vt talis, cùm illud ſit proprium ipſius ſpecificatiuum: atqui illud diuerſificatur formaliter penes circunſtantias; ſi enim concurrant omnes debitæ circunſtantiæ, eſt conforme rationi, & actio eſt bona & honeſta; ſi vel vna deſit eſt difforme, & actio mala, iuxta illud, bonum ex integra cauſa, malum ex quocunque defectu.

SECTIO II.

An moralitas vniuoce diuidatur in bonitatem & malitiam, ſeu in rationem honeſti vel turpis.

DIco diuiſionem illam eſſe vniuocam & generis in ſpecies.

Probatur: quia moralitas vt ſic conſiſtit in tranſcendentali ordine ad obiectū ſubiectum regulis, morum id eſt rectæ rationi & legi: atqui ordo ille dicitur vniuocè de bonitate & malitia, honeſtate vel turpitudine aut deformitate actionum, tanquam de diuerſis ſpeciebus moralitatis: ergo diuiditur in illas

vniuocè & tanquam genus in ſpecies. Probatur minor: bonitas enim ſeu honeſtas moralis in actione nihil aliud eſt formaliter quàm relatio quædam aut ordo ad obiectum ipſius prout conſonum legi & rationi; malitia verò aut ratio turpis, ad idem prout diſſonum ipſi ſeu difforme: ergo ille ordo ſecundum eandem rationem communem prædicatur de vtraque, in quo ratio vniuocationis conſiſtit.

Obiicies: Ratio mali moralis eſt formaliter quid priuatiuum, quemadmodum ratio mali phyſici: ergo moralitas non dicitur vniuocè de illa & de bonitate quæ eſt quid poſitiuum, nempe ordo realis ad obiectum rationi conforme. Probatur antecedens: nihil enim eſt aliud ratio mali moralis quam priuatio moralis bonitatis ſeu rectitudinis & conformitatis ad legem, debitæ ineſſe actui; quemadmodum ratio mali phyſici & in eſſe entis nihil aliud eſt quàm priuatio bonitatis phyſicæ ſeu alicuius perfectionis connaturaliter debitæ ſubiecto, putà carentia viſûs in oculo. Pro ſolutione ſit.

§. Vnicus.

An ratio mali moralis & peccati ſit aliquid poſitiuum, vel priuatiuum.

De hoc Theologi in tractatu de vitiis & peccatis: vnde breuiter.

Dico formale malitiæ & peccati conſiſtere in poſitiuo, importante tamen in obliquo & de connotato priuationem.

Probatur prima pars: Ordo realis ad obiectum eſt quid poſitiuum: malitia conſiſtit formaliter in ordine reali ad obiectum, vt ſcilicet rationi diſſonum, quemadmodum bonitas ad illud vt conſonum: ergo conſiſtit formaliter in poſitiuo. Probatur minor: In eo conſiſtit formaliter & ſecundum ſuam rationem ſpecificam malitia, per quod eſſentialiter definitur & diuerſificatur: atqui definitur per ordi-

nem ad obiectum vt diſſonum & difforme rationi & legi, & per ordinem ad illud vt diuerſimodè diſſonum diuerſificatur, non verò per priuationem rectitudinis aut conformitatis, quæ eſt eadem in omnibus & conſiſtit in indiuiſibili ſicut aliæ priuationes: ergo &c.

Secunda verò pars conſtat: ordo enim ad obiectum rationi & legi diſſonum, importat ſine dubio priuationem rectitudinis & conformitatis quæ actui humano in eſſe deberet cum ſua regula & lege: ergo cùm illam non importet directè & in recto, ſed ſit quid poſitiuum, vt probatum eſt importat ſaltem de connotato & in obliquo, ita quod ſine illa intelligi nequeat. Quod explicatur exemplo idoneo ſumpto ex Metaphyſica, de vnitate aut vno, quod in recto importat quid poſitiuum, nempe ens, in obliquo verò negationem, ſcilicet indiuiſionem. i. carentiam diuiſionis ita vt vtrumque ſit de ratione formali eius, cùm ſine alterutro intelligi nequeat, vnum enim nihil aliud eſt formaliter quàm ens indiuiſum ſeu carens diuiſione: ita ergo proportionaliter dicendum de formali peccati ſeu mali moralis, quod in hoc differt à malo phyſico, quod iſtud ſolam priuationem bonitatis aut perfectionis debitæ ſubiecto importet, illud verò quid poſitiuum connotans tamen priuationem modo explicato. Et ratio diſparitatis eſt, quia malum morale eſt quid eſſentialiter reſpectiuum ad obiectum, atque adeò directè conſiſtere debet in ordine poſitiuo ad illud, non verò in priuatione, ſecus malum phyſicum, ob rationem ſupra poſitam.

Obiicies præterea. Si malum morale & peccatum eſſet de formali quid poſitiuum, ſequeretur Deum eſſe auctorem peccati & cauſam illius: conſequens eſt blaſphemum: ergo. Probatur ſequela: quia Deus eſt cauſa omnis realis & poſitiui: ergo ſi &c.

Reſpondeo maiorem fore veram ſi formale illud eſſet purè poſitiuum, quod non diximus, conſiſtit enim in habitudine poſitiua cum priuatione rectitu-

dinis, quæ non eſt à Deo, ſed à voluntate creata vt deficiente.

Dices: Deus eſt cauſa illius ordinis poſitiui: ergo & priuationis ad illum conſequentis.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Eſt cauſa illius ordinis poſitiui, præciſe vt poſitiuus eſt, concedo: vt fundat & connotat priuationem rectitudinis, ſub qua ratione eſt formale peccati & malitia, nego, ſic enim eſt à creatura vt deficiente: ſicut motus claudicationis, inquantum motus, eſt à potentia progreſſiua; inquantum deficiens à rectitudine, eſt à tibia vt curua & deficiente, vide dicta in Phyſ. vbi de præmotione ad materiale peccati, parte 1. diſp. 8. ſect. 5. §. 2. ſub finem.

SECTIO III.

An diuiſio moralitatis in bonitatem & malitiam ſit adæquata, vel detur tertia ſpecies, ſcilicet indifferentia.

DIco diuiſionem illam adæquatam eſſe, nec dari tertiam ſpeciem, id eſt, indifferentiam.

Probatur: Inter bonum & malum morale, id eſt, inter conforme & difforme regulis morum non datur medium poſitiuum, ſed tantum negatiuum per remotionem vtriuſque extremi, hoc eſt nec conforme nec difforme, nec bonum nec malum: (quemadmodum inter ſimile & diſſimile, par & impar, datur ſolùm non ſimile nec diſſimile, non par nec impar: (ergo non datur indifferentia quæ ſit tertia ſpecies moralitatis. Probatur conſequentia: quia ſpecies moralitatis debet eſſe quid poſitiuum, & conſiſtere in poſitiuo ordine ad obiectum ſubiectum regulis morum, cum hoc ſit de ratione moralitatis vt ſic: atqui indifferentia illa quæ concipitur in actu ſecundum ſe nec bono nec malo, vt

eſt actus leuandi feſtucam v. g. eſt tantum negatiua: ergo non conſtituit tertiam ſpeciem.

Obiicies: Actus leuandi feſtucam, actus de ambulandi, & ſimiles, ſunt indifferentes ſecundum ſuam ſpeciem: ergo datur ſpecies indifferentiæ.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Sunt indifferentes ſecundum ſuam ſpeciem, poſitiuè, id eſt, habent poſitiuum quemdam ordinem indifferentiæ, nego. Sunt indifferentes negatiue, id eſt, habentes ſecundum ſe non repugnantiam vt ſint boni vel mali ex fine operantis aut ex alia circunſtantia, concedo: & nego conſequentiam.

Dices: Ille actus v. g. leuandi feſtucam ex deliberatione rationis procedens eſt verè moralis: atqui non eſt bonus, neque malus: ergo eſt in tertia ſpecie moralitatis nempe indifferentiæ.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: ſi conſideretur præcisè vt terminatur ad tale obiectum in eſſe phyſico ſpectatum, nego: ſi prout terminatur ad illud in eſſe moris, ſeu quatenus in ipſum fertur ob talem vel tale finem, concedo: & hoc poſteriori modo eſt determinatè bonus, ſi finis ſit honeſtus (puta ſi leuet quis feſtucam ob hunc ſaltem finem vt ſuam in hoc exerceat libertatem;) ſin minus, eſt determinatè malus: ex quibus minore diſtincta, neganda eſt conſequentia.

Inſtabis: Inter legem præcipientem & prohibentem datur media, nempe permittens: ergo actus qui poſitiuè fertur in obiectum prout tali legi permittenti ſubſtans erit poſitiuè indifferens.

Reſpondeo actum qui verſatur circa obiectum prout ſubſtans legi poſitiuè permittenti ſeu diſpenſanti, eſſe bonum ſi diſpenſatio ſit legitima, & actus fiat ob finem honeſtum, aliæque concurrant circunſtantiæ: actum verò qui fertur in obiectum ſubiectum legi permittenti ſolùm negatiuè, id eſt toleranti malum & non punienti, eſſe malum: & ſic non dari poſitiuam indifferentiam.

A

§. Vnicus.

An datur actus indifferens in indiuiduo.

Difficultas procedit de indifferentia negatiua, cùm poſitiuam omninò reieccrimus: & quæſtio eſt vtrùm quemadmodum datur actus ſecundum ſuam ſpeciem negatiuè indifferens, id eſt, nec bonus nec malus, putà actus deambulandi; ita & in indiuiduo prout hic & nunc exercetur, talis ſit. Et eſt ſemper ſermo de actu humano deliberato, clarum enim eſt actum non deliberatum nec bonum nec malum eſſe moraliter, cum ne quidem ſit in ordine morali cuius radix & fundamantum eſt ipſa libertas quâ legis & præcepti capaces ſumus. Pro reſolutione.

Dico, nullum dari poſſe actum humanum in indiuiduo indifferentem: vnde licet actio deambulandi e. g. ſecundum ſe & ſuam rationem eſſentialem ſit negatiuè indifferens, abſtrahenſque à bonitate & malitia: in indiuiduo tamen prout hic & nunc exercetur, ſemper eſt determinate bona vel mala.

Probatur: quia aut habet finem bonum & conſentaneum rectæ rationi, & ita eſt bona illa actio; aut malum & diſſentaneum ſeu difformem, & eſt mala: aut caret fine conuenienti, & eſt etiam mala quia otioſa, quilibet enim omnibus ſuis actionibus debet bonum finem apponere; quia tenetur intendere finem accommodatè ad ſuam naturam, quem ſi non adhibeat peccat ob defectum huius circunſtantiæ.

Obiicies: non tenetur homo ſuas omnes actiones in bonum finem dirigere, ſed poteſt agere ob fines indifferentes: ergo poteſt actus etiam exercere indifferentes, id eſt nec bonos nec malos in indiuiduo. Probatur antecedens: quia nullibi ſtat lex aut præceptum ad hoc obligans.

Reſpondeo teneri ad hoc quotieſcunque deliberatè agit, de quo hic loquimur: quia cùm ſuâ naturâ rationalis ſit, tenetur exercere ſuas actiones con-

formiter ad rationem quæ dictat vt eas ad bonum ordinet finem, vel formaliter, vel ſaltem virtualiter. Ad probationem antecedentis dico illud præceptum eſſe naturale, cùm ſequatur ex conditione naturæ ipſius hominis. Et addo illud implicitè contineri in primo Decalogi præcepto vi cuius tenetur homo diligere Deum ſuper omnia, & ad eum vt ad vltimum finem ſaltem naturalem ſe & ſua omnia ſaltem implicite ordinare, ſubindéque ſuas actiones ob fines peculiares honeſtos & in Deum ordinabiles exercere.

TERTIA PARS ETHICÆ.

De morum principiis, ſeu habitibus moralibus.

HAbitus morales, qui ſunt morum, ſeu moralium, actuum tum bonorum, tum malorum, nedum termini & effectus, quatenus per eos producuntur, ſed etiam principia, quatenus in ſimiles iis per quos producti fuere actus inclinant, (iuxta naturam aliorum eiuſmodi habituum,) ſunt virtutes & vitia. De quibus proinde hic: Vnde ſit.

DISPVTATIO VNICA.

De virtutibus & vitiis.

SECTIO I.

De quidditate virtutis, eiuſque in varias ſpecies diuiſione.

VIrtus vt ſic, quæ definiri poteſt, habitus diſponens & perficiens potentiam in ordine ad ſuum obiectum recte attingendum, diuiditur in primis in

virtutem intellectualem & virtutem moralem.

Virtus intellectualis, quæ eſt habitus diſponens intellectum ad ſuum obiectum ſeu verum, infallibilibiliter attingendum, quintuplex enumeratur à Philoſopho, nempe habitus primorum principiorum, ſapientia, ſcientia, prudentia, & ars.

Habitus primorum principiorum eſt ille quo primis & indemonſtrabilibus principiis aut propoſitionibus ex vi immediatæ & per ſe notæ connexionis terminorum aſſentimur. Qui habitus dicitur partim naturalis, quia non acquiritur per aſſenſus frequentatos circa prima principia, eo modo quo habitus ſcientificus per aſſenſus concluſionum ex eis deductarum, (alias minueretur, & tandem corrumperetur per diſſuetudinem huiuſmodi aſſenſuum, ſicut ſcientia & alij ſimiles habitus per ſuorum actuum diſſuetudinem corrumpuntur aut minuuntur;) ſed naturaliter quodammodo reſultat in noſtro intellectu veluti proprietas quædam: partim acquiſitus, quia non reſultat ad ipſam animæ productionem ſecluſa omni alia actione, ſicut aliæ propriè & ſimpliciter dictæ proprietates; ſed ad ſui emanationem & reſultantiam neceſſariò prærequirit notitiam terminorum: neque enim aſſentietur ruſticus huic principio, omne totum eſt maius ſua parte, niſi ei termini explicentur, quid ſcilicet nomine totius, quid nomine partis intelligatur.

Habitus autem primorum principiorum, ſubdiuiditur in intelligentiam & ſynderesim. Intelligentia eſt habitus primorum principiorum ſpeculabilium, ſiue illa principia ſint omnibus ſcientiis communia & vniuerſaliſſima, quæ à Philoſopho dicuntur dignitates, vt iſtud. Quodlibet eſt vel non eſt; ſiue peculiaria ſingularum facultatum, quæ appellantur poſitiones, ſuntque ipſæ rerum, de quibus in illis ſcientiis agitur quidditatiuæ definitiones: idem enim habitus in illa omnia fertur, quia ſub eadem ratione formali ea attingit, nempe ſub ratione immediatæ & per ſe notæ connexionis terminorum, ad differentiam

ſcientiæ quæ non immediatè, ſed mediis principiis cognoſcit concluſiones; quòd autem difficiliùs apprehendantur termini, eorumque immediata connexio in principiis peculiaribus, per accidens eſt. Synderesis verò eſt habitus primorum principiorum practicorum, ſiue etiam illa ſint vniuerſaliſſima, vt, Bonum eſt amandum: Deus eſt colendus, ſiue particularia, vt quòd parentes ſint colendi. Diſtingui autem ſynderesim ab intelligentia, ea ratione ſuadetur quâ alias oſtendimus ſcientiam ſpeculatiuam & practicam eſſentialiter differre in naturalibus. Et ſicut vtraque ratio conuenit Theologiæ ſupernaturali, ita & fidei diuinæ, quæ eſt habitus ſupernaturalis quo primis principiis tam ſpeculatiuis quàm practicis ordinis ſupernaturalis aſſentimur, vt quod Deus ſit trinus, quòd ſit amore charitatis ſumme diligendus.

Sapientia autem eſt cognitio rerum per altiſſimas cauſas aut principia vniuerſaliſſima, vt Metaphyſica & Theologia: Scientia verò, per cauſas inferiores & minùs vniuerſales. Vnde patet ſcientiam differre à ſapientia tanquam ſpeciem imperfectiorem à ſpecie perfectiſſima contenta ſub eodem genere, nempe ſcientiæ vt ſic quæ eſt cognitio rerum per cauſas aut principia neceſſaria, abſtrahendo ab vniuerſaliſſimis aut minùs vniuerſalibus.

Prudentia definitur recta ratio agibilium id eſt, actuum humanorum. Et ſenſus eſt eſſe habitum diſponentem rationem in ordine ad actiones humanas, vt ſcilicet eas rectè dirigat, conformiter nempe ad appetitum rectum. Diuiditur autem prudentia in prudentiam monaſticam, œconomicam, & politicam: prima dirigit actiones particulares, non remotè, ſicut ſcientia moralis, ſed proximè hîc & nunc: œconomica eſt quæ dirigit actiones hominis vt eſt pars familiæ: politica vt eſt pars reipublicæ.

Ars verò dicitur recta ratio factibilium, id eſt, habitus diſponens rationem in ordine ad factibilia, ſeu ad operationes in externam materiam tranſeuntes, ne videlicet aberret in illis conformiter ad regulas

artis dirigendis. Ars diuiditur in mœchanicas ſeu ſeruiles; quæ tanquam corpori & liberales quæ animæ tanquam nobiliori parti ac corporis dominæ famulantur: vtræque deſignantur hoc diſticho.

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, aſtra.
Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber.

Aduerte autem artem prout dicitur de iis omnibus liberalibus quæ primò verſu deſignantur, non ſumi ſtrictè, Logica enim, Arythmetica, &c. ſunt veræ ſcientiæ.

Prudentia & ars ſunt habitus practici qui ordinantur ad opus, & attingunt infallibiliter verum non ſpeculatiuum per conformitatem intellectus cum re, (ſiquidem verſantur circa ſingularia contingentia, nempe circa actiones in particulari, & ſæpè ſæpiùs ſpeculatiuè falluntur, vt cùm prudens iudicat hic & nunc talem hominem cui eleemoſynam largitur eſſe pauperem, qui fortè diues eſt; & cùm ars iudicat pecuniam eſſe hoc vel illo modo adulterandam; ſed practicum, iudicando conformiter ad appetitum rectè diſpoſitum, aut at regulas artis; veritas enim practica prudentiæ in huiuſmodi conformitate iudicij & rationis cum appetitu rectè diſpoſito conſiſtit, quam appetitus rectitudinem præſtant virtutes in eo reſidentes; & veritas ſimiliter practica artis in conformitate cum propriis ipſius regulis.

Præter has virtutes quæ dicuntur intellectuales, quatenus in intellectu reſident (quamuis prudentia meritò etiam inter morales numeretur, vt videbimus) ſunt alij intellectuales habitus qui non ſunt virtutes, quia non attingunt infallibiliter verum: vt ſunt opinio, quæ eſt habitus aut aſſenſus formidoloſus, id eſt, adhærens vel parti cum incertitudine & cum formidine ne altera potiùs ſit vera; fides humana, quæ aſſentitur ob teſtimonium hominum fallibile, ſuſpicio, quæ eſt aſſenſus inclinans in vnam partem, non tamen ei determinatè adhærens, in quo differt ab opinione; dubium, quod eſt quædam in-

tellectus fluctuatio iudicium circa vtramque partem ſuſpendentis: ſolertia, quæ eſt facilitas quædam inueniendi medium ad aliquid ſuadendum vel agendum, vnde & definitur facilis coniectatio medij.

§. Vnicus.
Quid ſit virtus moralis, & quotuplex.

HActenus, & obiter, de primo membro diuiſionis virtutis vt ſic initio ſectionis adductæ, id eſt de virtute intellectuali; in poſterum de altero, nempe de morali cuius conſideratio per ſe ad hunc locum ſpectat.

Virtus ergo moralis, vt eius naturam explicemus, prout ab intellectuali ſecernitur, eſt habitus diſponens & inclinans appetitum ad proprium obiectum ſeu bonum rectè, id eſt, conformiter ad rationem rectam attingendum. Seu, vt definiunt alij, eſt habitus electiuus in mediocritate ſecundum regulas prudentiæ præſcripta conſiſtens. Dicitur habitus electiuus: ad differentiam habituum intellectualium qui ſunt cognoſcitiui, eligere enim eſt proprium appetitus aut voluntatis, & eligere conformiter ad regulas prudentiæ, proprium virtutis moralis in appetitu reſidentis. Dicitur, in medio ſeu mediocritate conſiſtens, ad differentiam habitus vitioſi qui à mediocritate deflexit. Pro cuius intelligentia.

Aduerte medium in quo dicitur virtus conſiſtere, aliud eſſe medium rei, aliud medium rationis. Medium rei eſt illud quod ab vtroque extremo æque diſtat, quo pacto ſenarius medius eſt inter denarium & binarium, quia totidem vnitatibus ab vtroque recedit, nempe quatuor; & hoc medium ſeruare debet iuſtitia, tantum enim quis reddere tenetur quantum debet, nec plus nec minus. Aliud eſt medium rationis, quod conſiſtit in mediocritate

inter exceſſum & defectum, non abſolute, ſed comparatione ſubiecti iuxta arbitrium iudiciumque prudentis viri, & medium iſtud ſeruant temperantia & fortitudo, non verò medium rei, nam ſi reſpectu complexionis Petri v g. nimium ſit comedere decem panis vncias, & minùs quàm par eſt comedere tantùm duas, medium temperantiæ in hoc caſu non erit comedere ſex, quod eſſet medium rei, ſed comedere quantum ratio & prudentia dictabit habita ratione complexionis illius. Hoc modo definita & explicata eſſentia virtutis moralis diuiditur in tres, nempe in iuſtitiam, temperantiam & fortitudinem.

Si autem paulò latiùs virtus moralis accipiatur pro habitu diſponente & inclinante ſubiectum ad bonum conforme rationi, ſic ſunt quatuor virtutes morales, nempe prudentia, iuſtitia, temperantia, & fortitudo: quæ dicuntur cardinales, eo quòd ſicut fores cardinibus, ſic illis omnis moralis vitæ honeſtas fulcitur.

Prudentia iam à nobis ſuprà definita eſt, & diuiſa in prudentiam monaſticam, œconomicam & politicam tanquam in partes ſubiectiuas ſeu ſpecies. Partes autem potentiales eius, id eſt, virtutes ei adiunctæ ac deſeruientes (quæ ideò potentiales nuncupantur, quia non participant totam virtutis principalis perfectionem) ſunt Eubulia, quæ ordinatur ad media accommoda at facilè inuenienda, Syneſis, quæ rectè iudicat de mediis à lege aut præcepto iam præſcriptis, Gnome, quâ rectè iudicamus de iis quæ non ſunt à lege aliqua determinata, & tamen in praxim veniunt, in quibus maior occurrit difficultas.

Iuſtitia definitur conſtans & perpetua voluntas ius ſuum vnicuique tribuendi: hoc eſt, habitus diſponens & inclinans voluntatem ad reddendum cuilibet quod ſuum eſt. Et diuiditur præcipuè in diſtributiuam & commutatiuam. Iuſtitia diſtributiua eſt illa quæ reperitur in principe aut ſuperiore bona communitatis aut gradus & honores omnibus iuxta

cuiuſque merita diſtribuente. Commutatiua verò conuenit homini particulari, qui ita diſpoſitus eſt, vt vnicuique in pactis, conuentionibus, omnibuſque contractibus, quod ſuum eſt reddere velit. Partes autem potentiales iuſtitiæ ſunt potiſſimum, religio quæ eſt virtus quâ quis rectè afficitur ad Deum colendum ac venerandum per actus tùm internos deuotionis & orationis, tùm externos adorationis, ſacrificij, voti, laudis, &c. pietas, per quam parentibus officia & cultum debitum exhibemus; obſeruantia, qua dignitate præſtantibus honorem deferimus; obedientia, qua ſuperioris præcepta promptè adimplemus; liberalitas, affabilitas, amicitia, & huiuſmodi.

Fortitudo eſt habitus firmans animum ad pericula ſuſcipienda, laboreſque perferendos in proſecutione boni rationis & virtutis, moderaturque metum & audaciam quæ iis obſiſtunt. Actus ergo fortitudinis ſunt aggredi & pati, quorum hic poſterior præſtantior eſt, vtpote in quo minus eſt de paſſione, plus de ratione, minus de natura, plus de gratia. Ad fortitudinem ſpectant, fiducia qua quis confidit ſe pericula & labores ſuperaturum; magnificentia, qua circa res magnas & excelſas conformiter ad rectam rationem fertur; patientia, quæ eſt rerum arduarum & difficilium voluntaria & diuturna perpeſſio; longanimitas, perſeuerantia, & conſtantia.

Temperantia denique eſt habitus ſeu virtus diſponens & rectificans appetitum circa delectabilia guſtus & tactus, ordinatur enim ad voluptates illorum principuè ſenſuum moderandas, doloreſque temperandos. Partes eius ſubiectiuæ ſunt, abſtinentia, quæ in ciborum delectatione mediocritatem conſtituit, ſobrietas, quæ delectationes potus moderatur; caſtitas, quæ effrænem concupiſcentiam rationis moderamine cohibet. Potentiales autem partes temperantiæ ſunt, continentia per quam prauis ac vehementibus cupiditatibus ad ſenſum tactus ſpectanti-

bus aliquis reſiſtit ; manſuetudo, quæ iram moderatur, clementia, quæ in punitionibus criminum modum ſeruat ; miſericordia, quæ alienæ miſeriæ ſubuenit ; modeſtia, quæ circa honores moderandos verſatur ; humilitas, quæ hominis cupiditatem cohibet ne in res magnas & excelſas immoderatè tendat, ſed potiùs ad infimas ſe deiiciat ; eutrapelia, qua quis in ludis & iocis moderatè ſe habet ; & aliæ ſimiles.

Dicent autem melioris notæ Theologi his omnibus virtutibus moralibus ordinis naturalis adiungi alias in homine iuſtificato ſimiles ordinis ſupernaturalis virtutes morales quæ hominem perficiant in ordine ad finem ſupernaturalem, & vt bonum operetur conformiter ad rationem lumine fidei & prudentiæ ſupernaturalis inſtructam ac rectificatam, quæ virtutes non ſunt noſtris actibus acquiſitæ, ſed vnà cum gratia infuſæ.

SECTIO II.

De ſubiecto virtutum moralium.

DIco primò prudentiam eſſe in intellectu vt in ſubiecto, iuſtitiam in voluntate. Hæc concluſio eſt euidens ex propriis rationibus & definitionibus harum virtutum.

Ratio fundamentalis eſt, quia virtus in ea reſidet facultate, cuius reſpicit obiectum circa quod potentia illa patitur difficultatem : atqui prudentia reſpicit obiectum intellectus (practici) & attingit verum practicum in quo attingendo eſt difficultas ; iuſtitia verò reſpicit obiectum voluntatis, habet enim pro obiecto bonum, non quidem proprium, ad quod voluntas ſuapte natura propenſa eſt, ſed alienum, circa quod difficultatem patitur ortam ex propenſione quâ fertur ad proprium : ergo prudentia eſt in intellectu (practico) iuſtitia in voluntate.

Dico ſecundò fortitudinem & tumperantiam non reſidere in voluntate : ſed in appetitu ſenſitiuo ; fortitudinem in iraſcibili , temperantiam in concupiſcibili.

Probatur primò : ibi ponenda eſt virtus , vbi reperitur difficultas per talem virtutem ſuperanda : atqui difficultas vincenda per fortitudinem & temperantiam non eſt in voluntate, ſed in appetitu ſenſitiuo : ergo. Maior eſt euidens : ad hoc enim facultas aliqua indiget habitu virtutis , vt ſuperet difficultatem quam habet ad operandum circa aliquod obiectum. Minor autem ſuadetur in primis quoad primam partem , ſic : voluntas non habet difficultatem, nec ſubinde indiget habitu inclinante ad id ad quod ſuapte natura eſt propenſa : atqui ſuapte natura propenſa eſt ad bonum fortitudinis & temperantiæ: ergo. Probatur minor ? ideò enim ſuapte natura non inclinatur ad bonum iuſtitiæ , quia illud eſt bonum alienum,ſeu alteri reddendum , non verò bonum proprij ſuppoſiti;atqui bonum fortitudinis & temperantiæ, nempe paſſiones ad moderationem redactæ , eſt eſt proprium bonum ſuppoſiti : ergo naturaliter inclinatur ad illud, bonum enim naturaliter eſt amabile,& vnicuique propriũ. Quantùm verò ad ſecundã partẽ euidens eſt minor illa: appetitus enim ſenſitiuus propria inclinatione fertur in bonum ſenſibile & delectabile , maximamque experitur difficultatem in paſſionibus quibus in illud fertur,moderãdis.

Probatur ſecundò : quia proprij actus fortitudinis & temperantiæ ſunt actus appetitus ſenſitiui:ergo in illo reſident huiuſmodi habitus. Conſequentia eſt euidens: habitus enim ponitur in potentia vt eo mediante facilè & promptè eliciat actus in quo difficultatem patiebatur : ergo in ea facultate reſidet habitus, à qua procedit eius actus. Antecedens verò probatur : cùm enim fortitudo habeat moderari timorẽ & audaciam, temperantia amorem & delectationem , actus harum virtutum non ſunt alij quàm huiuſmodi paſſiones conformiter ad rationis dicta-

tamen moderata: atqui paſſiones ſunt actus appetitus ſenſitiui,timor quidem & audacia appetitus iraſcibilis; amor & delectatio aut dolor, appetitus concupiſcibilis: ergo.

Obiicies primò: voluntas patitur difficultatem in eligendo v.g. moderato cibo, quod pertinet ad obiectum temperantiæ, in adeundis periculis aut laboribus perferendis, quod ad obiectum fortitudinis attinet: ergo indiget in ſe huiuſmodi habitibus.

Reſpondeo voluntatem in ſe & ex parte ſui non experiri huiuſmodi difficultates ſed ſolùm appetitum ſenſitiuum, in quo proinde & non in ipſa voluntate neceſſarij ſunt habitus illi. Vnde concedi debet hominem pati in illis difficultatem, non verò voluntatem.

Obiicies ſecundò: Virtus moralis eſt habitus electiuus: ergo reſidere debent in facultate electiua ſeu libera: atqui appetitus ſenſitiuus non eſt talis, ſed ſola voluntas: ergo in hac reſident virtutes morales fortitudinis etiam & temperantiæ,non in illo.

Confirmatur primò: quia virtutes conueniunt homini vt homo eſt & rationalis: ergo reſident in appetitu rationali;ſed appetitus rationalis eſt voluntas: ergo. Confirmatur ſecundò. Obiectum virtutis moralis eſt bonum honeſtum ſeu conforme rationi:ergo reſidet in ea facultate quæ huiuſmodi obiectum reſpicit:atqui appetitus ſenſitiuus reſpicit tantùm bonum ſenſibile & delectabile, non verò honeſtum & rationi conforme:ergo. Declaratur magis hæc ratio: nulla potentia,quantũuis perficiatur,poteſt ferri extra ſuum ſpecificatiuum obiectũ: atqui ſpecificatiuũ appetitus ſenſitiui eſt ſolum bonum delectabile, non verò honeſtum: ergo.

Ad obiectionem diſtinguo minorem: appetitus ſenſitiuus non eſt electiuus,ex ſua natura & prout eſt communis nobis & brutis, concedo; per quamdam participationem ab intellectu & voluntate, prout in eadem anima rationali cum his radicatur,nego.Sicut enim ſenſus interni,præſertim cogitatiua & reminiſ-

centia in nobis aliquam imperfectã ex coniunctione cum intellectu participant ſpiritualitatẽ, ratione cuius imperfectè poſſunt iudicare aut diſcurrere; ita appetitus ſenſitiuus aliquam liberalitatem, beneficio cuius, accedente & præcedente voluntatis electione & motione, eligere poſſit bonum virtutis in ipſo reſidentis.

Ad primam confirmationem reſpondeo voluntatem eſſe ex ſua propria natura & intra propriam lineam appetitum rationalem, id eſt, præuio rationis ductu electiuum; appetitum verò ſenſitiuum in nobis eſſe talem, ſaltem imperfectè, per participationem, quæ vis electiua imperfecta ſufficit adiuncta libertate perfecta & electione voluntatis, quam ſine habitu elicit circa obiectum fortitudinis & temperantiæ, quia ſuapte natura ad illud inclinatur.

Ad ſecundam confirmationem reſpondeo appetitum ſenſitiuum ex ſua natura & propria linea reſpicere tantùm bonum ſenſibile & delectabile, præciſè vt tale; ex illa tamen imperfecta libertatis participatione, ad quam in nobis eleuatur, reſpicere illud idem vt honeſtum & rationi conforme, quod ipſi ſic eleuato correſpondet vt proprium obiectum, atque ita non ſequitur, ipſum ferri extra ſpecificatiuũ proprium, vt per hoc ſatisfiat illi rationis declarationi quæ ſubditur.

Obiicies vltimò: Fortitudo & temperantia vel ſunt habitus ſpirituales, vel materiales: non hoc ſecundum, aliàs eſſent extenſi: ergo primum: atqui habitus & qualitas ſpiritualis permanens non poteſt ſubiectari in ſubiecto corporeo, cuiuſmodi eſt appetitus ſenſitiuus: ergo.

Reſpondeo ſe habere veluti medio modo, & abſolutè loquendo eſſe ſpirituales quoad ſuam entitatem, ſed imperfectè: quamuis autem qualitas perfectè ſpiritualis permanens exigat ſubiectum perfectè ſpirituale, imperfectè tamen ſpiritualis optimè reſidet in ſubiecto etiam imperfectè & per quandam participationem ſpirituali, qualis eſt in nobis appetitus ſenſitiuus.

SECTIO III.

De connexione virtutum moralium inter ſe.

DVpliciter poſſunt virtutes morales conſiderari. Primò in ſtatu imperfecto, prout ſunt in quadam inchoatione & in gradu, vt dicitur, continentiæ, quando ſcilicet appetitus feruet paſſionibus, homo tamen iis reſiſtit: & in hoc ſtatu non merentur nomen virtutis, ſed ſunt potiùs diſpoſitiones ad virtutẽ. Secundò, prout ſunt in ſtatu perfecto, quando ſcilicet habent paſſiones appetitus ad mediocritatẽ redactas, & tribuunt homini promptè & delectabiliter operari, & hoc modo habent veram rationem virtutis, in priori ſtatu certum eſt virtutes non eſſe neceſſariò connexas, ſed vnam poſſe eſſe ſine alia, poteſt enim quis ex aliquibus actibus eſſe diſpoſitus circa materiam vnius virtutis, & non circa alias. De poſteriori ſtatu eſt controuerſia, pro cuius reſolutione.

Dico primò, omnes virtutes morales eſſe inter ſe connexas, tum ratione prudentiæ, tùm etiam ex propria cuiúſque ratione & natura, quando ſunt in ſtatu perfecto. Eſt contra Scotum.

Probatur. Omnes virtutes morales ſunt coniunctæ cum prudentia, & prudentia connexa cum omnibus: ergo & ipſæ inter ſe, quæ enim coniuncta ſunt vni tertio, & inter ſe coniungi neceſſe eſt. Antecedens pro prima parte probatur: quia omnis virtus moralis eſt habitus electiuus in mediocritate ſecundũ regulas prudentiæ præſcripta conſiſtens: ergo omnes virtutes exigunt ſecum prudentiam: pro ſecunda verò parte etiam facilè ſuadetur: quia ad hoc vt quis habeat prudentiam, per illam rectè & ſanè iudicet de obiecto alicuius virtutis, debet eius appetitus eſſe bene affectus erga illud, quia, Qualis vnuſquiſque eſt talis videtur ei eſſe finis, id eſt, qualiter affectus eſt erga aliquod obiectũ taliter de eo fert iudiciũ: atqui

virtus eſt per quę rectè afficitur ergà obiectũ eius; ergo prudentia exigit habere illam virtutem ſecum annexam: ergo vt rectè iudicet circa omnium virtutũ obiecta, neceſſariò petit comitatũ omniũ virtutũ moralium: ſed non poteſt rectè iudicare de vno niſi poſſit etiam de aliis; ergo. Probatur hæc minor: neque enim firmiter quis iudicabit temperatè eſſe agendũ, niſi ita ſit affectus vt etiam ſentiat & iudicet pecuniæ cupiditatẽ eſſe refrænandã, alioquin ex affectu auaritiæ iudicabit hic & nunc intemperatè eſſe agẽdum: & ſic de aliis. Ex quo etiã Probatur virtutes ex propria ratione eſſe connexas: nam virtus in ſtatu perfecto inclinat ad promptè & delectabiliter operandum in propria materia; ſed hoc non poteſt facere ſine connexione aliarũ virtutũ: ergo. Probatur minor: nam ſi quis v.g. haberet virtutem iuſtitiæ, & non liberalitatis, & conſequenter nimis amaret pecunias, oblata ſibi occaſione conſequendi pecunias facile iniuriam inferret proximo, nec niſi cum magna difficultate debitum ei redderet. Similiter mulier auara & timida, metu mortis imminentis aut cupiditate pecuniæ, quantumuis erga caſtitatem videatur effecta, facile, in oppoſitũ vitium pertrahetur.

Obiicies: virtutes morales acquiruntur per frequentationem actuũ, & corrumpuntur per deſuetudinem illorũ, aut contrariorũ exercitium: atqui poteſt quis ſe ſe exercere in actibus alicuius virtutis, non ſe exercendo in actibus aliarum; aut è contra relinquere exercitium vnius, vel etiam actus illi oppoſitos elicere, perſeuerando in exercitio cæterarum: ergo.

Confirmatur: quia quædã virtutes ſunt quæ non poſſunt omnibus competere, vt liberalitas aut munificentia pauperi: ergo illæ non habent neceſſariam connexionẽ cum aliis. Ad obiectionẽ reſpondeo quod ille qui ſe exercet in actibus alicuius virtutibus tantum & non in aliis, acquiret eam in ſtatu duntaxat imperfecto; & è contra qui diſſueſcit vni, amittet paulatim omnes. Ad confirmationẽ reſpondeo in primis concluſionẽ noſtrã procedere de omnibus virtutibus quarum quilibet eſt capax. Addo deinde, quan-

tum ad exemplũ quod affertur, pauperem capacẽ eſſe virtutis liberalitatis & munificentiæ, quia poteſt elicere primariũ illius actum qui eſt electio honeſtatis huiuſmodi virtutis ſi copia eam exterius exercendi ſuppeteret. Dico 2. non poſſe dari virtutes ſimpliciter tales quoad ſtatũ perfectũ ſine charitate. Pro intelligentia. Aduerte virtutes poſſe dici veras & perfectas dupliciter. Primò quantũ ad eſſentiã: & de virtutibus ſecundũ hanc perfectionẽ conſideratis proceſſit præcedens concluſio: qua ratione concedi poteſt eas poſſe ſine charitate reperiri, & fuiſſe de facto in Ethnicis non paucis qui ſapientiã & virtutẽ coluere. 2. quantũ ad ſtatũ perfectũ, quãdo ſcilicet per eas non ſolum rectè afficimur erga propria & immediata ipſarum obiecta, ſed etiã ordinamur ad vltimũ finẽ: & de illis hoc modo ſpectatis procedit concluſio hæc, quæ. Probatur: virtus non habet perfectionem & ſtatum virtutis ſimpliciter niſi quando perficit hominem in ordine ad vltimũ finẽ ſimpliciter: ſed ſine charitate nulla virtus perficit hominem in ordine ad vltimum finẽ ſimpliciter: ergo. Minor eſt certa, quia homo in eo ſtatu in quo modo eſt per decretũ Dei extrinſecũ ordinatus ad finẽ ſupernaturalẽ, nequit eſſe conuerſus ad Deũ vt finẽ naturalẽ, niſi ſit etiã conuerſus ad ipſum vt finẽ ſupernaturalẽ, quæ conuerſio & adhæſio fit per charitatẽ. Maior verò probatur; quia ad perfectã rationẽ prudentiæ requiritur quod appetitus ſit rectificatus circa fines particulares virtutum: ergo ad perfectionem illius quoad ſtatum perfectũ requiritur quod idẽ appetitus ſit rectè ordinatus circa vltimum finẽ. Probatur conſequentia: quia vltimus finis in practicis ſe habet ſicut primum principiũ indemonſtrabile in ſcientiis: ergo ſicut ſcientia eſt quidem eſſentialiter talis, quando procedit per principia proxima neceſſaria, non verò habet ſtatũ omnino perfectũ, niſi in eo qui eam reducit ad prima omninò & indemonſtrabilia principia; ita etiam virtutes illæ quæ perficiunt hominẽ in ordine ad fines particulares & propria ipſarũ obiecta, habebunt ſimiliter rationem eſſentialem virtutis, non tamen perfectionem &

ſtatum virtutis ſimpliciter niſi in illo per charitatem eas ad vltimum finem ordinat.

Obiicies. Ordo ad finem ſupernaturalem eſt quid extrinſecum & accidentale reſpectu virtutũ naturalium & acquiſitarum de quibus loquimur: ergo poterunt abſque tali ordine eſſe virtutes illæ etiam in ſtatu perfecto. Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Ordo ad finẽ ſupernaturalem vt talem reduplicatiuè, concedo: ſub alia ratione ſub qua eſt finis naturalis, nego: virtutes enim morales licet non eſſentialiter, per ſe tamen ad ſui perfectionẽ exigunt ordinari ad vltimũ finẽ naturalẽ: & quia homo pro hoc ſtatu naturæ corruptæ, & vt ordinatus ad Deum vt vltimum finem ſupernaturalem, non poteſt ei præcisè vt fini naturali adhærere niſi adhæreat ipſi etiam vt fini ſupernaturali (alias eſſet ſimul conuerſus ad Deum & auerſus ab illo:) talis autem adhæſio non fit niſi per charitatem: ideò ſub hac nequeunt eſſe virtutes in ſtatu omninò perfecto. Obiicies ſecundò: ſequeretur quod quælibet actio Ethnici vel peccatoris, qui charitate deſtitutus eſt, foret peccatum mortale, quia careret debita ordinatione ad vltimum finem.

Reſpondeo negando ſequelam: vt enim ſit bona bonitate morali ſufficit quod ordinetur ad finẽ proprium & obiectum conformę rationi. De vitiis, quæ ſingulis virtutibus opponuntur, contrario modo philoſophandum eſt, eiſque omnia quæ de virtutibus diximus, proportionaliter applicanda: non tamen ea quæ de virtutum connexione docuimus, nulla enim ratione talis connexio inter vitia & peccata aſtrui poteſt, vt patebit conſideranti vim rationum quibus eam inter virtutes morales ſtatuimus, quæ de vitiis nequaquam oppoſito modo retorqueri valent.

Et hæc ſatis de Morali, ac de vniuerſa Philoſophia, quæ vt ad altiorẽ longéque nobis deſiderabiliorẽ, cuius videlicet initium timor Domini, ſapientiã nos ducant, det ipſemet Dominus ſuper omnia benedictus. Omnia vero hæc Eccleſiæ iudicio ſubmiſſa ſint.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
AG 2005413

277

LEGATORIA A. PANDIMIGLIO · ROMA ·
1971
Digitized by Google